



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Dispvtaiones Theologicae**

Quatuor Tomis distinctæ: Qvibus Vniversa Theologia Scholastica Clare,  
Breviter & accuratè explicatur

De Deo, Et De Angelis

**Martinon, Jean**

**Burdegalae, 1644**

Dispvatio VII. De inuisibilitate, incomprehensibilitate, & ineffabilitate Dei.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73898](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73898)



## DISPUTATIO SEPTIMA

De Inuisibilitate, Incomprehensibilitate, &amp; Ineffabilitate Dei.

Sectio I. *An Deus sit inuisibilis oculo corporeo?*Sectio II. *Soluntur obiectiones contra doctrinam propositam.*Sectio III. *An Deus sit inuisibilis visu mentali potentie create?*Sectio IV. *An Deus sit naturaliter inuisibilis omni intellectui creabili?*Sectio V. *Expenduntur rationes sententiae affirmantis.*Sectio VI. *Expenduntur aliae rationes quorundam recentiorum.*Sectio VII. *Vera sententia & solutio Argumentorum.*

**D**E argumentis huius Disputationis agit S. Doctor quæst. 12. art. 3. & 4. cuius doctrina est, Deum non posse videri oculo corporeo: cum sit spiritualis, & oculus sit potentia corporea, cuius proinde actus est corporeus, & improporcionatus obiecto spiritali. Neque etiam videri posse viribus solis naturalibus intellectus creati: quia Deus, cum sit suum esse subsistens, excedit secundum suum modum essendi omnem modum cognoscendi, & facultatem cuiuscunque intellectus creati, cuiuscunque naturæ creabilis: quippe quæ non est suum esse subsistens, sed habet tantum esse participatum.

Quantuis autem hic sermo sit de cognitione Dei, non actiua sed passiva, id est, non quâ Deus se ipse cognoscit, sed quâ cognoscitur à creaturis: hæc tamen disputatio non parum facit ad perfectionem diuinam declarandam. Si enim Deus talis & tantus est, ut omnem fandi & cogitandi conatum creatum excedat, sicut vniuersi consensu docent omnes Theologi: id non parum summam eius excellentiam arguit. Generaliter verò cognitio duplex est. Vna intuitiua, quâ res cognoscitur clarè secundum se immediatè, ut per se præsens, ac, sicuti est: & hæc dicitur visio, similis illi quâ visus oculis obiectum præsens attingit & percipit. Altera est abstractiua: quâ obiectum imperfectius cognoscitur: & hæc præter commune cognitionis, aliud nomen non habet. De priori tractat S. Thom. primis vndecim artic. quæst. 12. De posteriori disputat art. 12. & 13. vbi docet, Deum, tametsi hæc in vita non videatur clarè à nobis, cognosci tamen vtrunque per lumen naturale, & perfectius per gratiam. Quod satis patet ex præcedentibus Disput. Tantum aduerto cum Molin. 1. p. q. 2. a. 3. prope finem, post S. Dionys. c. 7. de diuinis nō. triplicem esse viam quâ pertingimus ad cognitionem, qualem de Deo naturaliter habemus hæc in vita. Primam causalitatis: secundam eminentiæ: tertiam

Cognitio  
est duplex  
intuitiua,  
& abstractiua.Dionys.  
2. l. c. 7.  
Cognoscere  
de Deo  
paratè  
liter.



negationis seu remotionis. Via causalitatis est, quando ex cognitione creaturarum ad cognitionem Creatoris progredimur, sicut in alijs soleamus philosophari ab effectis ad causas. Via eminentiæ est cum iam instructi via causalitatis, tribuimus Deo eminentiori modo quicquid certimus perfectionis in effectibus ab ipso creatis. Quia quicquid est perfectionis in effectu, est in causa efficiente, à qua, vel in qua est tota vis effectum producendi; vel formaliter, si causa est uniuoca; vel eminenter, si est æquiuoca, qualis est Deus respectu creaturarum. Via demum negationis seu remotionis est, cum ita perfectiones creaturarum Deo tribuimus, vt omnes earum imperfectiones ab eodem remoueamus. Prima vsus est Paulus Actorum 14. *Et quidem non sine testimonio semetipsum reliquit, dans pluuia de celo &c.* Secunda, Vares regius Psal. 93. *Intelligite insipientes in populo, & stultus aliquando sapite. Qui plantauit aurem non audit, aut qui finxit oculum non considerat?* Tertia, Moyses num. 23. *Ngn est Deus quasi homo vt mentiatur, neque vt Filius hominis vt mutetur.*

SECTIO I.

Deus sit inuisibilis oculis corporeis?

August.

**V**ISIONIS nomen corporæ & incorporeæ commune est oculorum & mentis vt notat S. August. in epist. 112. Quin etiam, sed late admodum sumitur aliquando pro cognitione abstractiua, vt Iob. 36. *Omnes homines eum vident, unusquisque inuenit procul,* id est, cognoscit vicinque in creaturis procul ab eius perfectione distantibus. De primo genere visionis, citra controuersiam est Deum, sicuti est, visu corporeo non posse videri naturaliter. Id enim saltem enunciant testimonia Scripturæ quibus Deus dicitur esse inuisibilis, 1. Timoth. 6. *et Rom. 1. et 20. Coloss. 1. v. 15.* aliisque. Sec. Nam vt vero aliquo sensu dicatur Deus esse inuisibilis, necesse est, vt saltem visu corporeo naturaliter videri non possit. Adde quod oculus nihil potest videre naturaliter nisi accidentia quadam corporea, lumen, colores, figuram, extensionem, & motum aut instantiam localem; vt patet experientia. Deus autem est substantia pure spiritalis carens omni accidente corporeo. Ergo non potest naturaliter oculo corporeo videri sicuti est.

Ac neque super naturaliter. Suarez. Valquez. Valear. D. Thom.

Addo præterea, ne quidem videri posse supernaturaliter, & per potentiam Dei absolutam. Quod dogmati fidei propinquum esse ait Suarez lib. 2. de attribut. cap. 6. num. 5. Vasquez autem disputat. 4. capite 2. contrarium vocat erroneum: Valentia quest. 12. punct. 8. & alij quidam aiunt esse de fide. Ratio D. Thomæ q. 12. art. 3. & communis, hæc est: quia nulla poten-

tia ferri potest extra suum obiectum. Deus autem, cum sit omnino incorporeus, est extra obiectum visus corpore (quod pro obiecto adequato habet corpora, seu eo potum accidentia) non minus, imò infantiè magis quam lumen est extra obiectum auditus: & tonus extra obiectum visus. Quæ ratio generatim concludit de quouis alio sensu, siue externo, siue interno: quippe qui omnes materiales sunt, & limitati essentia liter ad obiecta materialia. Eadem rationem afferunt SS. Patres, vt Athanasius in epist. ad Libertium, affirmans Deum inuisibilem & inactibilem esse, quia spiritus est. Et in eadem sententiam interpretantur Scripturæ loca paulò antè citata: interpretantur, inquam, quòd Deus non modo sit inuisibilis oculo corporeo naturaliter, sed quòd ne quidem supernaturaliter, ac de potentia absoluta possit oculis corporeis cerni sicuti est; sicut potest ab intellectu creato.

Athanas.

Ad quod magis declarandum & confirmandum nota, tripliciter intelligi aut fingi posse, Deum esse visibilem supernaturaliter oculo corporeo. Primo, visionem corporali non tantum formaliter in seipsa sed & obiectiue, id est, tendente in Deum, vt in obiectum corporeum, exprimendo eius lucem, vel colores, & lineamenta simili modo quo per oculum exprimitur obiecta naturaliter visibilia: cum hac solum differentia, quòd tale obiectum sit extra spheram naturalem potentia visus, idèdque ipse egeat concursu supernaturali vt possit illud attingere. Ad eum modum quo aliqui censent gloriam corporum beatorum non posse videri oculis corporeis, sine auxilio & concursu superante natura debitu; quamuis alioqui lux illa, & gloria corporum beatorum, exprimaturoculo, simili modo quò lux solis & astrorum, vt extensa scilicet, intensa, & diffusa. Atque hoc modo Deum esse inuisibilem supernaturaliter oculo corporeo, id est, Deum non posse

Deus non potest videri oculo corporeo.



tali modo videri sicuti est, nō minū fide diuina certum est, quā constat Deum esse incorporeum. Quidquid enim tali modo videtur, & videtur sicuti est, corporeum est: quia est lucidum, aut coloratum, extensum ac diuisibile. Eoque maximē sensu negant SS. Patres Irenæus, Athanasius, Eusebius, & alii, Deum posse videri absolute oculo corporeo, locis relatis à Suare lib. 2. de attributis, cap. 6. num. 4.

Nec visio-  
ne corpo-  
rali expr-  
mente ob-  
iectum spi-  
ritale sicuti  
est.

Secundō, intelligi autē fingi potest Deum esse visibilem oculo corporeo, visione corporali quidem formaliter, id est, in seipsa: sed exprimente obiectum spiritale ut spiritale, & sicut est in seipso: eodem modo, quantum est ex parte obiecti, quo exprimitur visione spiritali & intellectuali: qui modus videndi licet naturaliter sit impossibilis oculo corporeo, non superet tamen ejus potentiam obedientialem, quippe qui potest attolli ad videndum visione corporea, & diuisibili in se, aliquid indiuisibile, aut positum in indiuisibili: puta punctum luminis, aut corpus lucidum positum in indiuisibili, ut corpus Christi ponitur in sacramento Eucharistiae. Ex quo putabit aliquis colligi posse, non implicare contradictionem, ut visio corporea attingat quoque & exprimat indiuisibile spiritale, id est, spiritum quā talis est. Neque enim ex eo sequitur contradictio quam aliqui prætendunt: fore nimirum ut in eo casu videretur idem diuisibiliter, & indiuisibiliter. Diuisibiliter quidem: quia visio corporea, seu materialis, est necessariō diuisibilis, & pupilla commensurata, atque vnā sui parte representat partem obiecti, alias aliis. Indiuisibiliter autem: quia, ut supponimus, videret indiuisibile quod indiuisibile, & spiritum ut spiritum, id est, sicuti est. Responderi enim facile potest non videri simul diuisibiliter & indiuisibiliter ex parte obiecti, in quo esset contradictio: nec diuisibiliter ex parte visionis, & indiuisibiliter ex parte obiecti: id est, visione in seipsa diuisibili, & materiali, videret obiectum indiuisibile, & spiritale. In quo non magis est contradictio, quā in eo quod Deus & Angeli visione spiritali, & indiuisibili, cognoscant obiecta materialia & diuisibilia. Falsum verō est partem vnā visionis representare in eo casu vnā partem obiecti. Nam potius omnis visio corporea se totā & qualibet sui parte representat & exprimit vitaliter totum obiectum quod attingit.

Verum tamen aliunde iste modus ficticius & impossibilis esse mihi videtur. Primō, quia licet non sit impossibile videri oculo corporeo confusē per modum obiecti quāsdam extensū coloratū & lucidū, vel luce illustratū, corpus in indiuisibili quidem positum, sed tamen replicatum, & per replicationem, seu multiplicem sui positionem, ad æquatum spatio extenso: aut lucem simili modo positam: Potest enim extensio illa apparens sufficere ad visum corporalem, qui non discernit aut lux quam videt, consistet partibus extensio-

nis realiter diuersis? similique modo videret, quamuis lux vnā & eadem constitueretur tota in pluribus locis, per solam replicationem aut multiplicationem præsentia. Probabilis tamen existimo, impossibile esse videri oculo corporeo rem materialem, aut corpus penitus inextensum, & in vnico indiuisibili positum. Quia hoc ipso quod ita constituitur, trahitur extra obiectum visus corporei, id est, materialis & crassi, ex gentis ex parte obiecti sensibilem aliquam extensionem, quam efformet. Extensionem, inquam, vel per replicationem quasi continuam eiusdem, vel per diuersitatem partium aliarum extralias, quam differentiam visus corporeus non discernit, ut patet antè diximus: Esto, sit illa necessaria ut possit obiectum naturaliter imprimere speciem, vel determinare potentiam visuum: quare plura dicemus in tract. de Eucharistia. Secundō, quia licet absolute videri posset oculo corporeo corpus in vnico indiuisibili positum: secus tamen spiritus, qui est extra totum obiectum visus corporei, multo magis quā sonus, vel odor sit extra obiectum eiusdem visus. Implicat enim, potentiam ferri extra totum suum obiectum. Quare non minū implicat oculum corporeum videre Deum sicuti est, quā eundem oculum videre sonum vel odorem. Quare de re plura dicemus infra, num. 10. 11. & 12. Denique per se incredibile est, posse visione materiali & corporea, qualis supponitur esse ille actus, exprimi germanē & quidditatiuē Deum sicuti est, id est, spiritum purissimum, & à materia remotissimum. Est enim visio materialis corporea quædam imago sui obiecti, & vitalis eius expressio. Quare sicut impossibile est, Deum exprimi germanē, propriē & quidditatiuē, illā externā imagine, & quibuscunque coloribus aut lineamentis, quantum quis per potentiam obedientialem eleuatis: ita pariter impossibile est, & pingi Deum & representari, sicuti est, interna vllā imagine corporea & vitali, seu specie materiali expressa, ab oculo formata. Item si posset visio corporea hominis exprimere Deum sicuti est: posset & visio corporea brutorum, ut ostendimus paulō post: que ita posset bruta ad videndum Deum attolli, quod est absurdum & impossibile.

Tertiō, intelligi potest visionem illam, elicitam licet ab oculo corporeo, esse formaliter & in seipsa spiritualem: eō quod non repugnet, potentiam materialem eleuari ad producendum aliquid spiritale, sicut multi putant Sacramenta, in rebus materialibus constituta essentialiter, eleuari physicē ad producendam gratiam. Quo modo Ioannes de Salas Tom. 1. in 1. 2. tractat. 2. disput. 5. sect. 1. censet Deum videri posse per visionem spiritalem à potentia materiali productam. Idemque, loquendo coherentem, debent asserere quicumque putant quilibet posse eleuari ad quodlibet, & potentiam obedientialem creaturarum non esse metiendam

4  
Nec visio-  
ne spiritali  
elicitā ab  
oculo corporeo.



ex entitate & viribus ipsarum, sed ex virtute omnipotentia diuinæ cui subordinatur, quæque potest vti qualibet creatura ad omnia in seipsis possibilia. Nam quod aliqui eorum respondent, potentias vitales duobus modis spectari posse. Primò, vt sunt potentia vitales ascendendo, vt sunt creatura quædam Deo subiecta per potentiam obedientialem. Et priori modo non posse ferri extra suum obiectum: ideoque impossibile esse, vt aliqua visio corporalis versetur circa rem spiritalem, aut circa sonum, vel odorem: quia hæc non sunt obiecta potentia visus. Posteriori modo, posse assumi tanquam instrumentum ad quemcunque effectum, qui non indiget principio vitali sui productione. Hoc, inquam, parum coherentem dicitur. Nam vt omittam dicere, membra illius diuisionis non bene assignari: quia potentia vitales, quæ tales, sunt creatura Deo subiecta per potentiam obedientialem: si potentia vitales, vt vitales, habent certum & limitatum obiectum, vltra quod ferri non possunt, etiam prout subiacent obedientialem omnipotentia diuinæ; potentia obedientialis earum vt talium, non est ad quilibet, sed respondet omnipotentia diuinæ: sed mensuratur ex natura potentia vitalis, vt talis: quæ natura cum sit limitata & finita, non potest, ne quidem obedientialiter, eleuari ad quodcunque obiectum, & ad quemcunque actum vitalem. At qui eadem potentia vitalis, spectata non solum vt est creatura quædam Deo subiecta per potentiam obedientialem, sed etiam vt est potentia vitalis talis naturæ & speciei, est quoque natura finita & limitata: ergo, non potest, etiam vt talis, eleuari ad quemcunque effectum; ac ne quidem ad illum omnem qui non indiget principio vitali in sui productione. Quia huiusmodi effectus sunt possibile in infinitum specie diuersi, & infinite disparati ac disproportionati inter se. Deinde si potentia, quæ est vitalis, non potest, quæ vitalis, attolli ad omnem actum vitalem, id est, ad omnem effectum indigentem principio vitali in sui productione: quare potest eadem potentia, quæ non vitalis (si tamen potest, vt ita spectari) attolli ad omnem effectum non vitalem, quàm vitalis ad omnem vitalem? Cur denique obiectum vnus est, illimitatum in suo ordine, potius quàm obiectum alterius? Confirmatur, quia: et ex parte creatura quæ potest attolli obedientialiter, præiacere debet aliquod fundamentum effectus ad quem potest eleuari, & aliqua vis inchoata, quæ possit per eleuationem, id est, per conceptum supernaturalem compleri, quæ vis, quia præsupponitur eleuationi, non accipitur per illam, sed completur & iuuatur auxilio illo supernaturali adiuncto: vel nihil tale prærequiritur, sed à sola Dei voluntate & omnipotentia pendet, vt eleuetur ad quicquid voluerit. Si primum: potentia obedientialis creaturarum metienda est ex ipsa re-

rum creaturarum essentia, quæ cum sit limitata, non tantum se extendit, quantum diuina omnipotentia: idque tam verum est de potentiis non vitalibus, quàm de vitalibus, prout vitalibus: quia potentia non vitales creatæ, sunt limitata & finita naturæ, æquæ ac vitales. Quare nulla est differentia supra data ab Aduersariis, & falsum est principium quod supponunt; quilibet posse eleuari ad quodlibet &c. Si autem dicatur secundum, id est, si pendet à sola Dei voluntate & omnipotentia eleuatio creaturæ, nullo ex parte eius prærequisito veluti fundamento, & virtute inchoata effectus ad quem eleuatur: ergo ab illa solè pendet, vt potentia vitalis, quæ talis, eleuetur ad quemcunque actum vitalem: & vt oculus corporeus v. g. eleuetur ad videndum Deum. Porro non magis est intelligibile, Deum sola sua voluntate facere posse, vt creatura, eadem in se manens, possit id quod nullo modo potest, ne inchoatè quidem & partialiter: quàm vt eadem in se manens, sit id quod nullo modo est. Neque potest Deus sapienter velle primum, potius quàm secundum.

Nihilominus melius est quod alij respondent cum Fazolo quæst. 12. art. 3. num. 6. oculum corporeum posse quidem absolute producere visionem Dei, eamque in se recipere & sustentare, atque ita ad illam eleuari vt ad effectum simpliciter sed non tanquam ad medium formale, quo oculus fiat formaliter videns obiectum illius visionis, quod est Deus. Sicut non implicat lapidem v. g. producere actum scientiæ, eumque in se recipere ac sustentare: implicat verò per illum actum ita informari, vt fiat lapis sciens & doctus. Vel, vt alij loquuntur, non implicat quidem, oculum, & quamuis aliam creaturam, producere visionem Dei modo mortuo: sed implicat modo vitali. Ratio differentia, inquit Fazolus, est, quia: modo causa comparatur ad eum effectum, vt extrinseca, & instrumentalis in suo genere, tanquam ad aliquid extrinsecum & ponentem extrinsece: Posterior verò comparatio est intrinseca, & principalis in suo genere causæ formalis: quia per illam respicitur effectus spiritualis, vt forma intrinseca in formans potentiam, & seipsa formaliter & immediate repræsentans obiectum potentia, & quasi immediate & intrinsece videns in esse intentionali, & repræsentatio, obiectum potentia: Ad quod, inquit, multo maior proportio & convenientia requiritur inter potentiam, actum, & obiectum; quàm postulet productio effectus extrinsece & instrumentalis, respectu sui effectus. Ideoque si obiectum est spirituale, requiritur essentialiter ad illud videndum, vt visio etiam & potentia sint spirituales.

Sed contra, primò: Multi eorum qui sic philosophantur, censent actum vitalem visionis, ex gr. esse completè, integrè, & adæquate, qualiter realiter distinctam à potentia, ab illaque productam, & in ea receptam. Quo supposito, sola ista qualitas est

Fazolus

Non potest  
oculus  
producere  
visionem  
Dei, & ta-  
men non  
videre  
Deum,

6.



essentialiter visio; & effectus illius formalis primarius, est constituere videntem. Ergo, quàm est impossibile formam subiecto inhaerere, & non illi tribuere suum effectum formalem primarium, qui nihil est aliud quàm ipsa forma subiecto communicata; tam est impossibile visionem Dei recipi in oculo, & sustentari, ipsique inhaerere: & non illum constituere formaliter videntem Deum. Idemque dico de actu scientiæ respectu lapidis, & de aliis similibus.

Secundò, non est verum, quod ait Fazolus, causam quæ producit effectum immanentem, illum in seipso recipiendo & sustentando, comparari ad illum vt ad effectum extrinsecum, & ponendum extra se. Implicat enim in terminis, effectum esse in ipsa causa, ipsique intrinsecum & inhaerentem: & esse ipsum extrinsecum. Pariterque implicat, effectum produci à causa in seipso immanentem; & tamen causam illum ponere extra se, vel, quod idem est, illum respicere vt ponendum extra se. Implicat denique comparationem talis effectus ad suam causam, prout illam informantis, ipsique inhaerentis; non esse comparationem intrinsecam, & principalem in suo genere causæ formalis. Cumque per Aduersarios effectus ille solus sit totus actus vitalis, seipso formaliter & immediate representans obiectum potentia, illudque vitaliter & intentionaliter exprimens, atque vnicius potentia formaliter & immediate in esse intentionali ac representatio: impossibile est talem effectum informare potentiam, aut quodcumque subiectum aliud, ipsique inhaerere: & non illi representare, atque vnire obiectum vitaliter & intentionaliter, formaliter & immediate. Quia talis effectus est formaliter & essentialiter talis representatio & vnio: esseque impossibile vt subiecto inhaerere, & tamen illi non tribuat suum effectum formalem primarium, qui est ipsamet forma, vt subiecto communicata.

Tertiò, requiritur, vt ait Fazolus, aliqua proportio & conuenientia inter actum vitalem, potentiam, & obiectum, ad huiusmodi vnionem & representationem intentionalem: Ergo falsum est potentiam obedientialem in vniversum pendere solum ex Dei voluntate & omnipotentia. Et ab illo querendum, superesse, cur non similiter requiratur in aliis causis, & effectus ab illis producibiles? ita vt defectu sufficientis proportionis non possint eleuari ad quodcumque effectus: sicut potentia vitalis oculi corporei v.g. non potest attingi ad quodlibet obiectum videndum.

Quartò, si iuxta rei veritatem sola qualitas producta non est totus actus vitalis, sed requiritur attentio principij producentis, & aliquod aliud eius exercitium, præter simplicem productionem & receptionem quantitatis: parum adhuc coherenter asseritur, posse oculum corporeum eleuari ad producendam visionem Dei, sed non posse eleuari ad illam

attentionem, & exercitium. Nam fundamentum Aduersariorum, propter quod primum asserunt, est quia creaturæ plene subsunt omnipotentia diuina, ita vt Deus possit illis vt ad quidlibet agendum. Atqui non minus subsunt Deo quoad alios vsus & exercitia, quàm quoad actionem: neque magis sunt illimitata in agendo, quàm in quouis alio exercitio: Ergo, si Deus potest vt pro libito corporeis oculis ad producendam Dei visionem: potest pariter illis vt ad omnem vsum & exercitium necessarium ad videndum vitaliter, id est, ad id omne quod vterius requiritur, vt Deus videatur oculo corporeo.

Ita verò vterius, si Deus potest videri oculo corporeo humano, potest & bruto: imò etiam poterit à lapide, & à quouis alia creatura videri. Et consequenter poterit etiam ab illis amari & perfecte possideri, per visionem & fruitionem beatificam. Item poterit oculus corporeus hominis & bruti, & quælibet alia res discurrere, liberè agere, & similia: quæ sunt penitus absurda & incredibilia. Prima sequela probatur, tum quia homo non superat visu omnia bruta, imò à quibusdam eorum superatur: vt à Lynce, & Aquila: nihilque homo naturaliter videt, quod non æquè bruta multa percipiant. Quod signum est, potentiam naturalem videndi huiusmodi brutorum, non esse imperfectiorem, ac proinde non minus eleuabilem. Tum etiam quod quilibet oculus brutorum, & quælibet alia res, vt lapis, lignum, &c. potest, iuxta doctrinam Aduersariorum, eleuari ad Dei visionem producendam & recipiendam, & consequenter ad omnem vsum recipientem, vt per illam, vitaliter Deum percipiat, vt paulò antè probauimus.

Secunda quoque sequela probatur, quia eodem argumento, quo Aduersarij asserunt, posse oculum corporeum hominis & bruti eleuari ad producendam Dei visionem, debent coherenter loquendo asserere, appetitum corporeum hominis & bruti eleuari, posse ad Deum amandum, & de eo gaudendum, amorem, & gaudium visioni proportionato: idque non tantum modo mortuo, sed etiam vitali, vt supra ostendimus. Itaque equus & asinus poterunt Deo frui beatificè, & attingere ad illam Dei similitudinem, ad quam in creatione inchoatam, & in beatitudine perficiendam & consummandam, dicitur homo fuisse factus specialiter præ cæteris animalibus, Genes. 1. vers. 26. & 27. iuncto 1. Ioann. 3. vers. 2. *Similes ei erimus, quia videmus eum sicuti est:* iuxta expositionem SS. Patrum, Gregorii Nysseni, & aliorum passim, vt testatur Cornelius à Lapide ad versum Genes. citatum §. *Dico secundo.* Quin etiam solus ipse oculus poterit ad hæc omnia eleuari: sicut iuxta principium Aduersariorum, potest solus sufficere obedientialem ad producendum actus visionis, amoris, gaudij, & omnes alios effectus posibles in seipso. Idemque dico de lapide, & quouis alia creaturâ: quia quilibet potest eleuari ad quidlibet agendum: &

8  
Si Deus  
posset videri  
oculo corporeo  
humano, posset &  
bruto.

11  
Possent  
etiam bruta  
Deo frui  
per amorem  
& gaudium.

Vide infra  
lib. 37. sect.  
2. n. 19.



non minus potest eleuari ad quemcunque vsum vel exercitium, quam ad quamcunque actionem & effectum. Vnde etiam poterit oculus corporeus hominis & bruti, & quilibet alia res, discurrere & liberè agere: quia poterit producere omnes actus necessarios ad discursum, & ad liberè agendum: & eleuari ad omnem vsum qui est necessarius vt illi actus vitaliter & liberè eliciantur. Quæ omnia potè videri cuiuslibet esse perabsurda. Quare pariter absurdum est, & impossibile, Deum posse oculo corporeo videri supernaturaliter, hoc tertio modo quem impugnamus, æquè ac duobus aliis supra refutatis.

**10.** Melius ergo, & verè, cohærenterque ratiocinando, dicendum est primò, potentiam obedientialem creaturarum, quæ dicuntur posse ad aliquid eleuari, esse ipsammet eam, quæ est facultatem à natura insitam, quæ potest cum Dei auxilio extraordinario, & naturæ non debito, concurrere ad effectum, quem solis viribus suis naturalibus, vel adiuta solùm ab aliis causis naturalibus, cum Dei concursu generali, attingere non possit. Eleuare enim nihil est aliud, quam Deum vel per se immediatè, vel per auxilium aliquod creaturæ, se adiungere alicui causæ, ad concurrendum extraordinariè cum illa cogente, & conferente vim suam: ita vt effectus supernaturalis fiat à Deo eleuante simul, & à creatura eleuata, id est, adiuta extraordinariè: simili modo quo pondus fertur à duobus se quantibus, & ad ferendum concurrentibus: cum hac solùm difference, quod ad auxilium & concursus causæ eleuantis est supernaturalis eleuatæ, & indebitus ordinis naturali.

**11.** Ex quo secundo sequitur, quod vt aliquid eleuetur ad agendum physicè, debet habere vim aliquam, inchoatam licet & imperfectam, per quam physicè influat in effectum supernaturalem cum concursu superioris causæ eleuantis, & completis vim illam inchoatam, & imperfectam, atque de se insufficientem, neque potam completi à causis solis naturalibus. Quare vim non accipit per eleuationem; sed illi præsupponitur, & per eam completur. Probat, quia sicut rectè ait Regid. Conink. tom. 1. de Sacram. quest. 62. art. 4. dub. vnico, num. 113. vt aliqua res à Deo eleuata producat aliam physicè; non sufficit quod Deus, vel auxilium supernaturale, ad præsentiam illius rei, alteram producat: ita vt res eleuata non producat, sed habeat tantum se passiuè ad eleuationem, vt quando aqua calida producit calorem, ipsa tantum passiuè se habens, & sustentans calorem, qui solus verè ac propriè calefacit, & perinde cretaceret, si sine aqua esset: sed necesse est, vt ipsamet res quæ eleuatur, influat tanquam causa partialis in effectum, per virtutem sibi propriam. Alioquin non ipsa, sed Deus solus, vel auxilium eleuans ageret physicè. Debet, inquam, per se influere: sicut, vt g. intellectus noster per vim sibi connaturalem (id est, à natura insitam, quæque est

ipsamet intellectus) & intrinsecam atque propriam, influat in visionem beatificam, eamque veluti causa partialis producit vnà cum lumine gloriæ. Similique modo producimus per intellectum & voluntatè, actus supernaturales Fidei, Spei, & Charitatis, concurrentibus habitibus vel auxiliis supernaturalibus. Nisi enim res eleuata influat per seipsam physicè in effectum, non potest dici verè ac propriè illum physicè producere. Et nisi habeat vim aliquam actiuam aliquo modo proportionatam effectui, ita vt simul cum virtute concurrente causæ eleuantis apta sit constituere integram causam effectui proportionatam, intelligi nequit quomodo in talem effectum influat. Etenim actio non solùm supponit agens esse, sed etiam habere vim agendi: Ideoque sicut id quod non est, non potest eleuari ad agendum: sic neque id quod nullam habet vim agendi, potest ad agendum eleuari, id est, auxilio extraordinario & supernaturali iuuari, vt agat.

Vnde sequitur tertio, non posse quilibet eleuari ad quodlibet; sed potentiam obedientialem creaturæ cuiuslibet habere certum obiectum, & limites, vltra quos eleuari nequit. Probat, quia potentia obedientialis est ipsamet entitas creaturæ eleuabilis, quæ per seipsam debet, vt eleuari possit, habere vim inchoatam ad influendum in effectum ad quem eleuatur. Siqui entitas illa cū sit finita & limitata in essendo, est quoque finita & limitata in operando: neque habet vim inchoatam ad omnes effectus posibles: ita vt tantum se extendat, quantum diuina omnipotentia, quæ infinita est. Quare absurdum est existimare, quilibet creaturam, etiam vilissimam, eleuari posse physicè ad quodlibet, id est, ad omnes effectus posibles in seipsis; & non habere alios limites, quam habeat ipsa omnipotentia diuina, quæ nullos habet. Cūque potentia obedientialis non sit ipsa omnipotentia diuina, sed entitas rei creatæ eleuabilis; non est metienda ex amplitudine & infinitate sola omnipotentia diuina, sed ex perfectione vel imperfectione rei creatæ eleuabilis: ita vt quia finita est, non possit infinite, vel magis ac magis in infinitum eleuari ad perfectiores, quoscunque effectus, quantumuis à se distantes, & improporcionatos: sed ad aliquos tantum, ad quos de se vim inchoatam habet naturaliter; & quod perfectior est, possit etiam ad perfectiores eleuari. Ita vt v. g. licet oculus corporeus non possit attolli ad Deum videntem, possit tamen intellectus humanus, qui perfectior est, & ad hoc habet vim inchoatam, vt ex eo colligimus, quod viribus solis naturalibus potest Deum cognoscere, etiam conceptu proprio, id est, ei soli conueniente, quamuis imperfecto, & analogicè formato, ex rebus creatis. At oculus nullam Dei, vt Dei, cognitionem format viribus naturalibus: ideoque nullum est fundamentum asserendi, quod habeat vim inchoatam ad videndum

Potentia obedientialis quid sit?

Quomodo eleuetur?

Debet habere vim inchoatam ad effectum.

12. Non potest quilibet eleuari ad quodlibet.



Deum. Quod ex eo amplius confirmatur: quia potentia finita, quales sunt potentia cognoscitiva hominis sensitiva, debent habere obiecta finita & limitata: ita ut ulterius non possint operari, ne quidem obedientialiter. Et quae sunt perfectiores, debent habere perfectius obiectum, circa quod tum naturaliter, tum supernaturaliter & obedientialiter exercere se possint. Quare sicut non potest oculus videre sonum, nec auris audire lumen & colores, neque gustus aut olfactus percipere lucem aut sonum: ita neque possunt sensus materiales externi, aut interni, percipere quicquid potest attingere intellectus, facultas spiritualis longe amplior & perfectior: adeoque nec Deum, clarè visum, qui est obiectum intellectus supremum, & nobilissimum, sensibusque maximè disproportionatum, atque ab illis remotissimum. Concludo igitur: non posse Deum, sicuti est, vilo modo videri visu corporeo: esseque fictos & improbables eos omnes modos, quibus nonnulli imaginantur id fieri posse.

SECTIO II.

Soluntur obiectiones contra doctrinam propositam.

13 **C**ontra id quod diximus, Deum de potentia absoluta non posse videri oculo corporeo, obijciuntur primò, quaedam Scripturae loca quibus contrarium videtur asserti. Isaia 6. Genesis 32. Iob 19. & 42. aliisque locis. Secundò, quòd D. August. lib. 22. de Ciuit. cap. 29. dubitauerit, nunquam Beati oculis corporeis Deum visuri sint. Tertio, quòd per potentiam obedientialem creaturae attolli possint ad operandum supra naturalem capacitatem: quidni igitur oculus ad Deum videndum?

Quo sensu Deus dicitur videri in Scriptura?

Ad primum Respondeo, loca illa intelligenda esse, vel de visione Dei, non in seipso & sicuti est, de qua hic loquimur; sed in aliquo simulacro corporeo ipsum quodammodo repraesentante: quo pacto Isaia cap. cit. scribit, se vidisse Deum sedentem super solium excelsum: & Jacob Genes. 32. ait, se vidisse Dominum facie ad faciem, in simulacro in quo tota nocte luctatus erat. Nihil potius hoc loco: *Vidi Dominum facie ad faciem, & salua facta est anima mea, figuratè, congregatus sum & luctatus cum illo, phrasi Hebraica, simili illi qua dicitur gallus, nous nous ver-vons teste à teste, v. indicant verba illa, & salua facta est anima mea: id est, & tamen, quia saluus euadere & quae sequuntur paulò post. Quoniam si contra Deum fortis fuisti, quanto magis contra homines praeualebris? Quam expositionem illius loci subtilem & ingeniosam tradidit Valentinus Herice disp. 36. cap. 1. n. 4. & confirmat ex simili modo loquendi. Reg. 14. vers. 8. & 11. & cap. 23. vers. 29. Sed illi obest quod Iudic. 3. vers. 22. simili modo*

loquendi videtur Manue pater Samsonis, visò dumtaxat Angelo Domini, sine lucta. *Morte moriemur, inquit, quia vidimus Deum.* Vel etiam secundò, in aliis Scripturae locis sermo est de colloquio & conuersatione valde familiari cum Deo, quali fruebatur Moyses, qui idcirco dicitur interdum, vidisse Deum palam, non per aenigmata solum & figuras: multòque melius, quàm alios Prophetas, Num. 12. vers. 8. Vel etiam tertio, de visione Christi Domini secundum humanitatem, de qua Iob sic aiebat cap. 19. *Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra sursum elatus sum, & in carne mea videbo Deum saluatorem meum: quae duo verba postrema licet desint in Hebraeo, & in Vulgata Sixti V. optimè tamè conueniunt cum praecedentibus, Credo quòd Redemptor meus viuit, &c. Vel quartò denique, possunt verba illa intelligi de visione mentali, deque oculis cordis seu spiritibus, de quibus Paulus ad Ephes. 1. *Det vobis spiritum sapientiae in agnitione eius, illuminatos oculos cordis vestri.* De eademque visione per oculos mentis eundem locum Iobi exponit S. August. lib. 22. de ciuit. cap. 29. post medium, vbi post traditam priorem expositionem in his verbis, *Potesse Deum Christum intelligi, qui per carnem in carne videbatur:* subiungit: *Potesse & sic accipi, in carne mea videbo Deum, ac si dixisset, in carne mea eram cum videbo Deum.* Ad quod confirmandum ponderat Iobum non dixisse, *per carnem meam, sed in carne mea.* Eandemque expositionem refert & sequitur S. Thomas quaest. 12. art. 3. ad 1. & simili modo exponunt ambo de oculo mentis, illud quod idem S. Iob. *Audiu auris audivi te: nunc autem oculus meus videt te.* Cuius loci sensus literalis est: Prius multa audiveram de tua providentia: nunc autem video manifesta eius signa & indicia in me ipso. Vel ut exponit Gregor. magnus ibidem: Nunc multò melius quàm antea te cognosco, quia per flagella profeci.*

August.

D. Thom.

Gregor.

Ad secundum Respondeo primum, id de quo dubitavit S. Augustinus, indubitanter ab aliis Patribus negatum fuisse: non ab Ambrosio serm. 8. in Psalm. 118. ad ista verba, *Deprecabor vultum tuum Domine,* vbi censet hoc esse impossibile: dicit enim errorè esse ita existimare: nec non ab Athanasio, Chrysof. Gregorio Nazianz. & Hieron, quorum omnium verba in eandem sententiam refert ipsemet August. Epist. cxi.

14

Ambros.

Respondeo secundò, cum D. Thom. quaest. 12. art. 3. ad 2. S. Augustinum loco prius citato loqui inquirendo tantum & sub conditione. Sic enim ait: *Longè itaque potentie altius erunt (scilicet oculi glorificati) si per eos videbuntur incorporea illa natura: Postea verò determinat dicens: Valde creditibile est sic nos visuros mundana tunc corpora caeli regis, & terra novae, ut Deum ubique praesentem, & universa etiam corporalia gubernantem, clarissima perspicuitate videamus: non sicut nunc, inuisibilia Dei per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sed sicut homines, inter quos viventes, motusque vitales exercentes vivimus; max. ut aspiciamus, non creditur vi-*

August.

D. Thomas

Oculi Beatorum non vident Deum in caelo.



vere, sed videmus. Quibus verbis non asserit S. Augustinus oculos glorificatos visuros Deum immediate, & in seipso, sicuti est: sed tantum visuros effectus corporeos tam mirabiles, & Dei presentiam providentiamque non minus attestantes, & patefacientes, quam motus vitales, quos cernimus, eorum inter quos vivimus, attestantur, & patefaciant ipsos vivere, quorum tamen substantiam & vitam essentialiter non in seipsa intuemur oculis, sed per mentem intelligimus clarè & experimentaliter ex effectibus visis. Ex quo patet, inquit S. Thomas, quod hoc modo intelligit S. August. oculos glorificatos Deum visuros, sicut nunc oculi nostri, vident alicuius vitam: vita autem non videtur oculo corporali, sicut per se visibile: sed sicut sensibile per accidens: quod quidem à visu non cognoscitur, sed statim cum sensu, ab aliqua alia virtute cognoscitur, nempe ab intellectu. Quod autem statim visis corporibus divina presentia ex eis cognoscatur per intellectum, ex duobus contingit. Scilicet ex perfectitate intellectus, & ex resplendentia divina claritatis in corporibus immuatis: id est, ex mirabili eorum pulchritudine, quæ manifestè redolebit divini maiestatem.

15  
Sensus non possunt elevari extra suum obiectum.

Ad tertium Respondeo, posse quidem sensus tam internos, quam externos, intra suum obiectum elevari ad perfectius operandum: non tamen extra. Sicut auditus non potest attolli ut audiat colorem, nec visus ut videat sonos. Quare absolute fieri nequit per ullam potentiam, ut Deus per se, & secundum suam essentiam, percipiatur sensu aliquo: idque in intellectu Dei, sed potius ex magna ipsius perfectione, & ex imperfectione a limitatione creaturæ, quæ sicut essentia est finita, ita & finita capacitatis, cui repugnat extendi extra suos limites.

Dices, non apparet in re proposita implicentiam contradictionis. Ac si humanus intellectus attolli potest ad videndum clarè Deum: quanto magis oculus ad videndum Angelum, quippe qui minus distat ab oculo corporeo, quam Deus ab intellectu humano? Quod si oculus corporeus potest cernere Angelum, non apparet cur ulterius non possit attolli ad videndum Deum? saltem ratio ante allata, quia scilicet Deus spiritus est, nullius est momenti. Denique quicquid dicendum sit de visu & oculo corporeo iam creato, quidni Deus facere possit visum aut sensum corporeum, qui obiectum uniuersalius habeat, ideoque possit ad immaterialia ipsa, & ad Deum videndum eleuari? Præsertim cum materia prima, & formæ partiales carnis, ossium, sanguinis, phlegmatis, & aliarum vilissimarum, corpus organicum humanum constituentem, ad unionem hypostaticam Verbi diuini eleuari poterint.

16:

Ad hæc Respondeo, cum suare loco supra citato, primò, contradictionem esse, quod potentia vitalis extra obiectum adequatum feratur. Habet autem potentia visiva oculi obiectum limitatum, intra quod non est Deus, ut sectione præcedenti ostendimus. Alia

contradictiones quæ à Fazolo, & alijs quibusdam prætenduntur, minus mihi probantur. Secundò, licet in perfectione entis, intellectus hominis plus distet à Deo, quia infinitè: quam visus corporeus ab Angelo, quia finitè: attamen in proportionem obiecti, & potentia, plus distat Angelum à visu corporeo, quam Deum ab intellectu humano. Angelus enim est extra totam latitudinem obiecti sensus corporei: Deus autem non est extra totum obiectum intellectus humani, qui est spiritalis, & ad Deum abstractiue cognoscendum vim habet naturalem, & obedientialem ad inueniendum clarè, ut alibi ostenditur. Quamuis autem vniuersumque sit formaliter cognoscibile per id quod est: non tamen quantitate est proportio vel disproportionem in entitate quoad perfectionem, tantà est in eadem entitate quoad cognoscibilitatem: ut patet, tum exemplo allato: tum etiam quia calor & frigus non sunt entitates minus proportionatæ oculo, quam lumen & colores: & tamen non possunt ab illo videri. Tertio, nullum sensum creatum aut creaturam, quippe materialem & corporeum, esse capacem obiecti spiritalis: & contrarium esse merè Chimericum, nec posse nisi periculosè affirmari. Si enim quisquam hoc possibile iudicat, potest eadem opinandi licentiâ existimare, esse possibilem sensum, seu potentiam cognoscitiuum materialem & corpoream, quæ de se & connaturaliter sit vniuersalis, & capax cognoscendi obiecta spiritalia prout in se sunt. Hoc autem figmento præcluditur via præcipua, quæ distinguit intellectum à sensu; quæ probamus intellectum esse in se spiritualem facultatem. Nam si verè excogitari potest virtus sensitiva habens connaturaliter spiritalia pro obiecto, quomodo poterit conuinci qui dicet, intellectum nostrum esse talem potentiam? unde ulterius via præcluditur ad probandum, animam esse spiritalem & immortalem, ex operationibus quæ sensum & materiam excedere videntur. Denique quod Deus visu, vel vilo sensu corporeo cognosci possit, neque ratione, neque testimonio vilo probatur. At oppositum est valde secundum rationem, & secundum scripturam: neque detrahatur quicquam de Dei virtute, si creatura corporea attolli nequeat ad id, ad quod nullam habet capacitatem. Ergo quuis de necessitate obedienciali creaturarum non sit nimis demissè sentiendum, ut argumentum vltimum probat: tamen neque temerè ad quidlibet extendenda est. Ad quæ autem hæc aut illa virtus ipsi particulari attolli possit, non est istius loci definire, neque à quoquam sine reuelatione diuina, præcisè de omnibus & singulis definiri potest. Neque enim potentiam obediencialem creaturarum naturaliter comprehendimus; aut omnino perfectè & adequatè cognoscimus. De visu autem & sensu corporeo, respectu visionis Dei, quid sentiant Theologi communiter post sanctos Patres, iam dictum est.

Non potest sensus corporeus creari qui sit capax obiecti spiritalis.

SECTIO



SECTIO III.

An Deus sit inuisibilis visu mentali  
potentia creata?

17. **Q**uestio esse potest, vel solū de natura  
intellectuali iam creatā: vel absolutē  
de quacunque creabili. De secundo sensu  
questionis dicemus sectione sequenti. Nunc  
D. Thom. artic. 4. & omnium Catholicorum est, visio-  
nem Dei excedere vires naturales cuiuscun-  
que intellectus iam creati. Ad quod proban-  
dum suppono, sermonem hūc esse de visione  
non improprie & late sumpta, prout noticiam  
quoque abstractiuam comprehendit; quo  
sensu dicitur Iob 36. *Omnes homines cum vi-  
dent*, id est, cognoscunt utunque per creatu-  
ras: & Sapient. 13. vers. 5. *A magnitudine  
enim speciei & creaturae cognoscibiliter poterat  
creator horum videri*: non est, inquam, sermo in  
praesenti de visione tam late sumpta, sed stri-  
cte & proprie prout significat noticiam intui-  
tiuam, quā res cognoscitur clarē secundum  
se immediatē, vt praesens, ac sicuti est, quā  
proprie dicitur visio, similis illi quā visus  
praesens obiectum attingit, & percipit, dif-  
fertque a notitia abstractiua, quā obiectum  
nō cognoscitur vt praesens immediatē, ac  
per se sicuti est, sed aliter. Hoc supposito,  
dico conclusionem propositam esse de fide:  
cuius oppositum damnatum fuit iam pridem  
in Anomaeis haereticis, de quibus Chryso-  
stomus in homiliis contra illos scriptis: & mul-  
tō post in Concilio Viennensi sub Cle-  
mente V. contra Beguardos & Beguinās,  
quorum damnatur haereticis, his verbis ex-  
pressa: *Quod intellectualis creatura est natura-  
liter beata in seipso: quōdque anima nostra non  
indiget lumine gloria ipsam eleuante ad Deum  
videndum & eo fruendam*. Vbi notanda sunt  
haec verba, *Intellectualis creatura*, quā An-  
gelis, quā hominibus communia sunt. Ha-  
betur haec damnatio in Clementin. *Ad no-  
strum*, de haereticis. In Bulla quoque Pii V.  
& Gregorij XIII. contra Michael. Ba-  
ium, damnatur haereticus articuli: XI. *Quod  
pote & iuste in hac vita mortali usque ad finem  
consequi vitam consequimur aeternam, id non  
proprie gratia Dei, sed ordinationi naturali, sta-  
tim inuisio creationis constituta, iusto Dei iudi-  
cio, deputandum est*. Et XVI. *Quod non est  
opus sublimari ad statum deificum, per gra-  
tiam adoptionis, vt mereamur vitam aeternam*.  
Si autem homines, vel Angeli, non sunt na-  
turaliter sufficientes ad promerendam via-  
tam aeternam, id est, ad illam moraliter per  
bona opera obtinendam a Deo: multo mi-  
nus sunt naturaliter sufficientes ad illam ius-  
solis viribus naturalibus physicē efficien-  
dam. Ac si condignum meritum vitā aeter-  
nae est illis supernaturalē: vita ipsa aeterna,  
respondens ex condigno tali merito, de-

Tomus I.

bet illis esse pariter supernaturalis. Ne-  
que enim Deus exigeret ab hominibus me-  
rita supernaturalia pro aeterna vita conse-  
quenda, si possent illam naturaliter con-  
sequi.

Confirmatur primō Scripturā testimoni-  
is, Matth. 11. *Nemo nouit filium, nisi Pa-  
ter, neque Patrem quis nouit nisi filius, & qui  
voluerit filium reuelare*. Et Psalm. 35. *In lu-  
mine tuo videbimus lumen*. Et Psalm. 83. *Gra-  
tiam & gloriam dabit Dominus*. Et Rom. 6. *Stipendium peccati mors, gratia autem Dei vita  
aeterna*. Gratia, inquit, absolutē, & pro-  
prie, id est donum supernaturalē. Idem se-  
cundō docent expressē SS. Patres, August. August.  
lib. 12. de Ciuit. cap. 9. Gregorius Nazianz.  
Ambrosius, Chrysost. Epiphani. & alij, locis  
citatis a Suare lib. 2. cap. 8. & Vasquez Suarez, Vasquez  
41. cap. 1. Augustinus quidem loco citato at-  
firmat ea quā in Scriptura sacra dicuntur de  
charitate, gratia, & gloria; quōd sint super-  
naturalia dona Dei, quōdque charitas Dei  
diffusa sit in eis per Spiritum sanctum, non  
minus de Angelis vera esse, quā de homini-  
bus. Ratio denique ex supereminentia & ex-  
cellentia diuinitatis supra creatum intelle-  
ctum sumenda est. Nam ex huius imperfe-  
ctione, & illius perfectione, oritur inpro-  
portio naturā intellectualis iam creatae ad  
visionem clarā Dei naturaliter eliciendam.  
Ac sicut vitus imbecillus & tenuis quādam,  
alioqui de se visibilia, propter suam imper-  
fectionem attingere non potest: sic neque in-  
tellectus creatus potest naturaliter attingere  
clarē in seipso ens increatum, licet attingat  
de se intelligibile.

Aduersus haec nihil dignum refutatione af-  
ferebant Haeretici supra nominati. Ad quos  
errorem pōtē accessit Durandus, quicquid  
cum nonnulli excusare conentur, cum in 4.  
dist. 49. qu. 2. n. 4. reiectis illis duabus sen-  
tentis, quarum vna docet, Deum non posse  
videri ab intellectu creato, sine specie im-  
pressa: altera, sine lumine gloriae, quorum  
utrumque est intellectui creato supernaturalē:  
ait sufficere quōd diuina essentia immēdi-  
atē praesentetur intellectui creato: quod  
inquit, non potest fieri secundum ordi-  
nem naturā quem experimur, secundum  
quē nihil intelligimus nisi ex sensatis & ima-  
ginatis; adeoque non cognoscimus Deum ni-  
si mediatē ex rebus creatis: sed potest hoc fie-  
ri secundum ordinem diuinae gratiae: quia  
scilicet Deus potest ordinem illum cognos-  
cendi mutare, sequē immediatē intellectui  
nostro objicere. Quo solo posito, intellectus  
noster sufficiens est ad illum clarē videndum  
sicuti est. Quod pater, inquit, quia vbicun-  
que natura & virtus potentia se extendunt  
ad obiectum: praesentato obiecto per se &  
immediatē, & excluso impedimento omni  
causante aeternam, necessario sequitur cogno-  
scitio clara & manifesta, qualis est possibilis  
inter talem potentiam & obiectum, secun-  
dum quemcunque modum. Sed noster in-  
tellectus de se potest in essentiam diu-

K



nam, tanquam in obiectum: & totum impedimentum claræ & manifestæ cognitionis diuinæ essentia, est quia cognoscitur per medium inferioris gradus, quod est essentia creata. Ergo hoc excluso, & præsentatâ diuinæ essentia intellectui secundum se & immediatè, sequitur cognitio clara & manifesta, qualis possibilis est intellectui nostro respectu diuinæ essentia. Et paulò post numero 26. proposito sibi hoc argumentum: Ad hoc quòd potentia cognoscat obiectum clarè & nudè, non solum requiritur præsentia obiecti, & exclusio impedimenti (scilicet medij causantis confusam cognitionem) sed cum hoc requiritur proportio obiecti ad potentiam. Sed potentia intellectiua creata nullam habet proportionem cum essentia diuinâ, à qua distat in infinitum: Ergo aliis exclusis, & hoc solo remanente, nunquam poterit obiectum cognosci clarè & manifestè. Respondet numero 29. in hæc verba: *Ad secundum, dicendum quòd nihil cadens sub formali ratione obiecti excedit propositionem potentia per se, licet possit excedere per accidentem. Sicut claritas solis in se, excedit visum noctua, propter hoc quòd organum visus in noctua laeditur, & dissoluitur à claritate solis in rota sua. Et si hoc non esset, visus noctua posset clarè & manifestè videre solem. Quod satis innuit Philosophus in quodam simili, cuius dicit, quòd si serpens haberet oculum iuuenis, videret ut iuuenis: Igitur excedit obiecti supra potentiam, non potest esse causa cognitionis conijuncta & operaria, nisi per accidentem: vel ratione organi, ut in potentia sensitivâ: vel ratione modi cognoscendi, ut in potentia intellectiva, qua non cognoscit naturaliter Deum, vel substantiam separatas, nisi scilicet creaturas corporales, quæ sunt inferioris gradus, nec perfectè possunt representare Deum. Omnis enim potentia habet oportunitatem cum omni, quòd cadit sub ratione subiecti. Deus autem cadit sub ratione omnis, quæ est formalis ratio obiecti intellectus. Hæc Durandus, quæ fideliter & ad verbum referre placuit, ut de ipsius mente nemo iure dubitare possit.*

Patet igitur eius sententiam, esse quòd noster intellectus habeat de se, adeoque naturaliter, sufficientem proportionem & virtutem ad Deum clarè videndum: adeo ut nihil illi desit se tenens ex parte principij, sed tantum aliquid requisitum ex parte obiecti, nempe ut per se immediatè intellectui representetur, id est, sistatur & obijciatur: non aliter mediatè per creaturas sensibiles, ex quibus tantum analogicè & confuse cognosci potest.

Refutatur  
Viennensibus

Quæ sententia gravem errorem continet, manifestè damnatum à Concilio Viennensi, in primâ propositione Regardorum hæreticorum supra relata, Quòd anima nostra non indiget lumine gloriæ ipsam elevante ad Deum videndum. Secundo repugnat Concilio, Arausico, can. 7. Milevitan. can. 7. & Trid. sess. 6. can. 2. & finientibus ho-

minem non posse sine gratiâ diuinâ auxilio cognoscere, & facere quæ ad salutem vitæ æternæ pertinent: & speciatim, ut ait Trident. non posse sine inspiratione Spiritus sancti, atque eius adiutorio, credere, sperare, diligere, aut penitere, sicut oportet, ut ei iustificationis gratia conferatur. Ex quo sic argumentor: Non minus est improporionatus & insufficientis intellectus noster ad Dei visionem, quàm idem intellectus & voluntas ad actus supernaturales, quibus ad illam disponimur hæc in vita. Atqui de fide est, intellectum & voluntatem nostram esse de se insufficientes ad huiusmodi actus: ita ut non sufficiat propositio obiecti, & externa prædicatio, ut ait expressè Concilium Arausico, canone 7. Ergo, &c. Neque respondeat Durandus differentiam esse, quia Deus non clarè & per se immediatè representatur fidei; sicut representatur intellectui Beati. Quia si non est sufficiens proportio ad Deum cognoscendum per fidem, sufficienter propositum in ratione obiecti credibilis, sed debet intellectus iuvari ex parte principij, & elevari per auxilium supernaturale: neque etiam est proportio sufficiens ad videndum Deum, quamvis propositum sufficienter per modum obiecti visibilis.

Tertio, si requiritur tantum impedimenti remotio: & illud impedimentum, ut ait Durandus verbis supra relatis, tantum in eo consistit, quòd non intelligimus Deum & substantias separatas, nisi per creaturas corporales, quæ sunt inferioris gradus, nec perfectè possunt representare Deum: Infito, quia hoc totum impedimentum ita explicatum non habet locum in Angelis, qui seipsos & alias substantias separatas intelligunt per se immediatè, & non solum per creaturas corporales. Neque etiam locum habebit in animabus separatis, iuxta eorum opinionem qui putant animas separatas non pendere amplius à phantasmatibus in intelligendo, posseque naturaliter seipsas & alios spiritus cognoscere immediatè & intuitivè. Deinde quæro, cur sicut Angeli cognoscunt se & alios Angelos immediatè sibi præsentibus, aut non nisi distantes, eo ipso quòd sunt præsentibus sufficienter, & eorum intellectus est sufficienter proportionatus illi visioni: atque non vident Deum, qui non minus est ipsis præsens substantialiter? Nam præsentè obiecto visibili, ex potentia sufficiente ad videndum naturæ, persequitur visio: ut in omnibus aliis obiectis visibilibus notum est. Item vel Angeli non possunt ex natura suâ cognoscere Deum aliter quàm analogicè, ex creaturis, & per creaturas: & ita non habent ex se vim & proportionem sufficientem ad Deum immediatè cognoscendum & videndum; ut intendimus contra Durandum: vel Deus se subtrahit & occultat voluntariè naturali eorum facultati, noiendo curi illa concurrere ad visionem, nisi modo quo solem præ-



sentem oculis bene affectis occultaret, nolendo cum illis concurrere, aut velum aliquod obducendo. At hoc est aperte contra Concilium Vienn. supra citatum, affirmans animam indigere lumine gloriæ ipsam eleuante ad Deum videndum: quo certè non indigeret, si sufficeret Deum non negare confusum. Est item contra illud 1. Timoth. 6. *Qui lucem habitat inaccessibilem.* Neque enim Deus in eo casu esset per se magis inuisibilis & inaccessibilis intellectui creato: quàm lignum sit incombusibile, sol inuisibilis, homo ab extrinseco inalterabilis. Atqui Scriptura predicans Deum esse inuisibilem & inaccessibilem, hoc dicit ad commendandam excellentiam & eleuationem summam diuinæ maiestatis, quæ scilicet per se tanta est, vt à nulla creatura naturaliter videri, & in luce sua manifestè attingi possit. Denique iuxta eandem sententiam, vt Beati pares intellectu, sed meritis impares, viderent Deum inæqualiter, & haberent, sicut debent, essentielle præmium inæquale; non esset opus maiori lumine gloriæ, illi qui melius & perfectius Deum videt: sed tota causa physice inæqualitatis esset, quòd Deus minùs cum alio concurreret, qui alioqui est completè sufficiens ex parte sui ad Deum æqualiter videndum.

SECTIO IV.

An Deus sit naturaliter inuisibilis omni intellectum creabilem?

22 **P**Artem negantem censent esse probabile, quæ non lais probari repugnare. Maior in 4. disp. 49. q. 4. in fine. Albertin. principio 1. philosophico, qu. 3. Theod. Merice, 1. par. disput. 48. num. 63. Molina ad quæst. 1. artic. 5. disput. 2. Valent. disput. 1. quæst. 12. punct. 3. Becan. 1. p. cap. 9. quæst. 5. Ripalda lib. 1. de ente supernat. disput. 23. sect. 1. num. 2. quorum præcipua fundamenta hæc sunt, partim positiva, & partim negativa.

Maior. Albertin. Herce. Molina. Valencia. Becan. Ripalda.

Primum fundamentum & positiuum est, quia dupliciter intelligi potest, Deum esse visibile naturaliter alicui intellectum creabilem. Primum, si creari possit intellectus, qui per se sit tanta virtutis, quanta est virtus totius coniuncti ex intellectu Beati alicuius, puta D. Petri, & lumine gloriæ; cui coniuncto visio Dei est proportionata, & connaturalis; neque enim indiget vltiori eleuatione vt Deum videat. Secundo, si possit creari intellectus, qui quamuis per se solum non sit tanta virtutis: tamen sit tanta perfectionis, vt lumen gloriæ sit illi connaturale, & consequenter visio Beatifica. Vt utraque autem fieri possit à diuina omnipotentia, ostenditur his argumentis.

Primum argumentum quo Molina loco

citato probat priorem modum esse possibilem, sic habet: Coniunctum ex intellectu & lumine gloriæ, alicuius Beati in singulari, puta D. Petri, habet certam, & finitam quandam virtutem ad intelligendum. Sed dato quocunque intellectu qui habeat certam & finitam vim naturalem ad intelligendum, potest Deus creare alium, & alium in infinitum, qui suapte naturâ habeat maiorem, ac maiorem virtutem ad intelligendum quâcunque datâ: Ergo per diuinam potentiam potest esse res creata intellectu prædita, quæ suapte naturâ habeat maiorem facultatem intelligendi, quàm sit vis totius coniuncti ex intellectu & lumine gloriæ Beati singularis designati. Ac proinde talis res intellectu prædita, ex suis tantum naturalibus videre poterit essentiam diuinam, non minùs quàm Beatus ille designatus, lumine gloriæ perfusus, eam potest videre.

Primum argum. sententia in gantia.

Neque respondeas primo, posse quidem per diuinam omnipotentiam, quocunque dato intellectu finito, dari perfectiorem accidentaliter, id est, per se ipsum accidentali lumine maiori sibi adiuncto: sed non maiorem substantialiter seu essentialiter, id est, in sua specie perfectiorem. Nam contra: Datâ quâcunque naturâ, seu substantiâ intellectuali finitâ, Deus potest creare aliam alia perfectiorem in infinitum: cum in eo nulla sit contradictio, & Deus sit omnipotens, infiniteque participabilis substantialiter magis ac magis à naturis intellectualibus, quæ modum & ab aliis substantiis in infinitum multiplicabilibus. Ergo, dato quocunque intellectu finito, potest dari perfectior substantialiter. Quò enim est perfectior natura intellectualis, eo perfectior est intellectus, quippe quò vel est ipsa res substantia & essentia talis naturæ, vel proprietates ab ea manans naturaliter, eique commensa, adeoque perfectior in perfectiori natura. Si autem potest dari perfectior intellectus, & perfectior in infinitum, potest attingere imò & superare distantiam quæ est inter intellectum supremi Angeli, & inter coniunctum ex lumine gloriæ & intellectu D. Petri: quia distantia illa est finita, quare paulatim minuetur, ac tandem exhaurietur, imò & superabitur creando intellectus perfectiores, & perfectiores in infinitum.

24 Refertur prim. et. 60.

Neque dicas secundo, illum intellectum, quamuis maioris virtutis ad intelligendum, fore tamen inferioris ordinis quàm sit coniunctum ex intellectu Angeli & lumine gloriæ: adeoque distantiam inter vtrumque fore quodammodo infinitam, & non posse exhauriri. Sicut brutum, quamuis dari possit aliud alio perfectius in infinitum: non potest adæquare perfectionem hominis, aut valere ad intelligendum. Nam contra: duobus modis potest intelligi talè intellectum esse inferioris ordinis. Nèpe, vel quia est speciei imperfectioris, sicut est homo respectu Angeli: vel quia est omnino improporcionatus

25 Refertur secunda.



visibili Deo, ita ut Deus ut clarè videndus, sit penitus extra obiectum talis intellectus: sicut brutum est omnino disproportionatum intellectioni: & obiectum quod est tantum intelligibile, ac nullo modo sensibile, est extra obiectum potentie cognoscitivæ brutorum. Verumque autem falsum est. Nam intellectus tam perfectus, non esset ordinis inferioris: neque esset minor participatio nature divinæ ut intelligentis. Et potentia intellectiva a quæ perfecta, est a quæ proportionata obiecto a quæ intelligibili. Nam omnis potentia intellectiva est de se universalis, & valens ad omnia intelligibilia, iuxta mensuram suæ perfectignis. In quo differt à potentia sensitiva, quæ est limitata ad obiecta sensibilia: Vnde potentia sensitiva brutorum, quantumcumque crescat, non potest attingere purè intelligibilia, quæ sunt omnino extra sphaeram obiecti potentie sensitivæ. At Deus, ut clarè videndus, non est omnino extra sphaeram intellectus, etiam nunc creati: siquidem videtur à Beatis, hominibus & Angelis, ut supponimus ex dicendis disputatione sequenti. Quare si crescat in infinitum vis inchoata quam nunc habet intellectus creatus ad Deum videndum, poterit eò usque augeri, ut a quæ valeat tali coniuncto ex intellectu iam creato & ex lumine gloriæ.

25.  
Præcluditur aliud estugium.

27.

Discretiorem nequit talem intellectum fore alterius rationis & ordinis à lumine gloriæ, ideoque non fore accommodatum ad videndum Deum, sicut est intellectus minor, cum lumine gloriæ. Quæ admodum oculus, qui est perfectior auditu, non potest sentire sonum. Nimirum quia proportio potentie ad obiectum, non tam ex perfectione virtutis potentie, quam ex eius qualitate seu ratione speciali metienda est. Lumen autem gloriæ est eius rationis & nature, ut constituat potentiam in ordine quodam divino: quod alia quæcumque vis intelligens præstare non potest, quamvis perfectior & perfectior in infinitum producat.

Contra hoc eodem facit primò, quod iam diximus, intellectum tam perfectum non fore alterius ordinis à lumine gloriæ. Neque enim foret minor & inferior participatio nature divinæ ut intelligentis: neque minus constitueret in ordine quodam divino per imitationem & participationem. Absurdum enim est existimare è duabus perfectionibus intelligendi, quarum una maior est aliâ, eam quæ minor est, esse ordinis divini: eam verò quæ maior est, non item: aut illam fore in se supernaturalem, non istam. Secundò, non ideo intellectus nunc creatus non potest Deum videre naturaliter, quia Deus, ut clarè videndus, est extra totam latitudinem obiecti ab ipso visibile: potest enim Deum videre cum auxilio luminis gloriæ: sed quia vires eius naturales sunt imperfectiores & insufficientes: ideoque non possunt sine auxilio supernaturali. Ergo, si crescant vires naturales intellectus creabilis usque ad tantam virtu-

tem, quanta est totius coniuncti ex intellectu nunc creato & ex lumine gloriæ, poterit intellectus creabilis naturaliter Deum videre. Atqui possunt crescere eò usque, atque etiam excedere, siquidem possunt crescere in infinitum. Illa enim distantia certa & finita est, adeoque potest tandem exhauriri & superari per augmentum procedens in infinitum. Quare non est par ratio de oculo respectu soni, quippe qui est omnino extra totam latitudinem obiecti visus; vnde non potest ad illum percipiendum elevari: & de Deo respectu intellectus, extra cuius obiectum non est Deus visibile, quippe qui nunc re ipsa videtur ab intellectu creato, cum auxilio supplente naturalem eius insufficientiam & imperfectiorem; quæ si tollatur ab aliquo intellectu creabili per augmentum perfectionis naturalis in infinitum possibilis, tollitur indigentia auxilij supernaturalis, adeoque talis intellectus poterit naturaliter videre Deum.

28  
Secundum argumentum, quod probatur posteriorem quoque modum è duobus initio propositis esse possibilem, sic habet: Ordo substantiarum creabilium non est inferior ordine accidentium. Neque enim Deus est minus potens in creandis substantiis, quam in creandis accidentibus: Neque est minus participabilis & imitabilis per substantias creatas, quam per accidentia. Ergo potest creare substantiam quæ sit eiusdem ordinis cum lumine gloriæ, cuique lumen illud sit connaturale: & quam respiciat & exigat quodammodo, tanquam subiectum sibi connaturale ac proprium. Nam quod aliqui dicunt, repugnare ut deatur substantia supernaturalis, non est verum. Ut enim ostendam substantiam divinam, quæ nihil magis est supernaturale, nec altioris ordinis: Christus Dominus est compositum substantiale, verè supernaturale. Et unio hypostatica est substantialis, sed supernaturalis, etiam quæ substantiam seu entitatem, prout se tenet ex parte hypostasis Verbi divini. Denique nulla apparet contradictio in eo quod Deus, qui potest producere virtutes supernaturales intellectus, & voluntatis, seu viæ, seu patris, possit quoque producere intellectum & voluntatem supernaturalem, id est, eiusdem ordinis cum illis virtutibus, & naturam substantialem intellectus æqualem illis virtutibus proportionatam.

29.

Quod verò dicunt alij lumen gloriæ, & alios habitus supernaturales nunc infusos, esse essentialiter elevatiore: ideoque non posse virtutibus esse connaturales: duplicem sensum habere potest. Primò, quod huiusmodi habitus sint tantæ perfectionis essentialis & tantæ virtutis, ut sufficient ad actus supernaturales, etiam cum potentia inferioris ordinis, & tantum obedientialis: qui sensus verus est: sed inde non sequitur, non posse vili substantiæ esse connaturales: quin potius sequitur, quod si videret



possunt ad actus supernaturales cum potentia in prioris ordinis: multo magis ad eos valent cum potentia eiusdem ordinis. Secundus sensus est, quod essentialiter sint determinati ad informandam & iuvandam tantum potentiam obedientialem naturae ordinis inferioris: ideoque nulli alteri convenire possunt. Et hic sensus est falsus, & per se improbabilis. Potius enim de natura cuiuslibet accidentis est, postulare subiectum aliquod sibi connaturale, & naturaliter proportionatum. Idemque habitus qui sunt nobis supernaturales, sunt Christo naturales, & debiti visionis hypostatice.

Secundum fundamentum huius sententiae, & negatiuum, est, quia argumenta quae afferuntur in contrarium, non ostendunt contradictionem, possuntque omnia, siue ex auctoritate, siue ex ratione desumpta, probabiliter explicari. Primum enim obicitur illud 1. Timoth. 6. *Qui lucem habitat inaccessibilem. Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest*, naturaliter scilicet. Vbi norant aliqui cum Aegid. Conink. disput. 9. de actibus supernat. numero 26. & 27. Deum dici absolute lucem habitare inaccessibilem. Non esset autem absolute inaccessibleis, si posset dari creatura quae naturaliter eum videret: sed tantum comparatiue, respectu substantiarum nunc a Deo conditarum. Nec magis posset dici inaccessibleis, quam verè poterat dici solius inuisibilis, antequam Deus crearet hominem, & alia animalia eius videndi capacia. At longè alia mens est Scripturae, significantis Deum propter summam suam elevationem esse cuiusque creaturam inaccessibleem. Ideoque S. August. lib. 12. de Ciuit. cap. 9. infert ex his Pauli verbis, non modo homines, de quibus Paulus speciatim ibi loquitur, sed & Angelos esse naturaliter incapaces diuinae visionis. Responderi potest cum Molina supra, *Ad primum* quod idem, Scripturam sacram, cum Deum inuisibilem appellat, eumque lucem inaccessibleem habitare affirmat, intelligere comparatione creaturarum omnium quae factae sunt: inter quas numero pene infinitas, licet plurimae polleant magna intelligendi virtute, & aliae aliis perfectiores sint: nullius tamen virtus intelligendi est tanta, quin Deus visibilis ibi supereminet (in quo est alia ratio Dei, ac solis comparatiui cum solis creaturis insensibilibus, & quilibet aliud videndi incapacibus) non autem id affirmet comparatione creaturarum, quas Dei omnipotentia potest perfectiores in infinitum producere. Augustinus verò non bene citatur: neque enim quicquam infert ex illis Pauli verbis, sed aliter probat Sanctos Angelos esse Dei gratia beatos.

Secundo, obiciuntur testimonia Patrum affirmatiuum, nullam creaturam posse esse ex seipsa beatam, aut esse impeccabilem: idque ideo quia creatura est, & ex nihilo pro-

ducta. Atqui nulla est creabilis substantia intellectualis, quae non sit creatura ex nihilo producta: ergo, nulla est creabilis substantia intellectualis quae possit ex seipsa esse beata, & esse impeccabilis. Si autem posset naturaliter videre Deum; posset naturaliter, adeoque ex se, id est viribus suis naturalibus, esse beata, & impeccabilis. Ergo, nulla est creabilis substantia supernaturalis, quae naturaliter Deum videre possit. Eset item naturaliter impeccabilis: Quia impeccabilitas est necessario coniuncta cum Dei visione. Quare cui conuenit naturaliter visio Dei, conuenit etiam naturaliter impeccabilitas, necessario scilicet, & naturali sequela. Minor primi argumenti, & reliqua inde deducta, sunt clara. Maior verò probatur his Patrum auctoritatibus. S. August. lib. 12. de ciuit. cap. 1. fuse probat, nullam creaturam rationalem vel intellectualem posse esse ex se beatam: idque probat ratione communi omnibus creaturis possibiliibus; nimirum, quae ex nihilo facta est. Sic enim ait: *Non ex seipsa potest esse beata, quia ex nihilo creata est: sed ex illo à quo creata est.* Prosper in libro sentent. August. sentent. 143. *Creatura rationalis vel intellectualis bonum, quo beata sit, non est nisi Deus: quod ei non ex seipsa est, quia ex nihilo creata est: sed ex illo à quo creata est.* Item S. August. lib. 3. contra Maximinum cap. 12. Hieronym. epist. 146. ad Damasum, prope finem, & Ambros. lib. 3. de fide cap. 2. exponunt illud 1. Timoth. 6. *Qui solus habet immortalitatem*, in hunc sensum, quod solus Deus sit incapax peccati. *Solus Deus est, inquit Hieronym. in quem peccatum non cadit. Cetera cum sint liberi arbitrii, in utramque partem suam possunt stetero voluntatem.* Vbi nota, rationem communem omnibus intellectualibus naturis creabilibus, *cetera cum sint liberi arbitrii, &c.* Aug. verò lib. de vera Relig. cap. 19. sic habet: *Bona sunt ergo, quae vitiantur. Sed ideo vitiantur, quia non sunt bona sunt. Et paulò post: Bonum ergo, quod vitari non potest, Deus est. Cetera autem omnia bona ex ipso sunt: quae per seipsa possunt vitari, quia per seipsa nihil sunt.* Similia habent Fulgent. de fide ad Petrum cap. 3. ubi ait, ideo creaturas à Deo factas deficere posse peccando, quia ex nihilo factae sunt. Et Gregor. lib. 5. Moral. cap. 25. *Omnis quippe creatura, quia ex nihilo facta est, & per seipsam ad nihil tendit: non stare habet, sed destuere, per peccatum scilicet.* Anselm. denique lib. 2. *Cur Deus homo*, cap. 10. Beato quaerenti, cur Deus non cōdidit homines & Angelos impeccabiles? Respondet, quia non potuit, neque debuit fieri, ut unusquisque eorum esset idem ipse qui Deus. Sed ad primum responderetur mentem August. tantum esse, nullam creaturam posse esse ex se beatam obiectiue, ita ut ipsamet sit obiectum suae beatitudinis: sic enim habet eodem capite ante verba relata, *Non est creatura rationalis vel intellectualis bonum quo beata sit, nisi Deus. Itaque quāvis nō omni beata esse possit creatura (neque enim hoc munus adipiscuntur & ca-*

Nulla creatura potest ex seipsa esse beata & impeccabilis.

Prosper August.

Hieronym. Ambros.

August.

Fulgent.

Gregor.

Anselmus.

Respondet Patrum auctoritas supra obiectis.

30 Explicatur scripturae testimonia in contrarium opposita.

Aegid. Conink.

August.

Propositum testimonium SS. Patrum.





pinum fere, saxa, ligna, & si quid est huiusmodi) & tamen quia potest, non ex se ipsa potest esse beata, quia ex nihilo creata est: sed ex illo a quo creata est. Hoc enim adepto beata est, quo amisso misera est. Cetera vero testimonia de impeccabilitate, possunt in hunc sensum exponi, quod solus Deus est absolute impeccabilis, neque in vilo casu possibili peccare potest. At vero creatura, de qua loquimur, non esset talis. Nam prius a Dei visione ad quam Deus posset absolute non concurrere, posset peccare: Alias eorum expositiones sigillatim tradit Ripalda disput. supra citata, sect. 22.

Tertio, obijciuntur multe rationes, quæ idcirco tam variæ à variis afferuntur, tantoque numero multiplicantur, quod difficile sit solidam aliquam reddere. Unde fit ut nulla proferatur, quæ non ab aliquo Authore eiusdem sententia improbetur, ut in sequenti sectione videbitur.

SECTIO V.

Exponitur variae sententia affirmantis.

33

Prima ratio qua probatur non posse naturaliter Deum videre ab vilo intellectu creatibili.

Prima ratio est Nominalium in 4. distinct. 49. afferentium, visionem Dei à solo Deo fieri per creationem, ideoque nulli creaturæ connaturalem esse posse. At hæc ratio supponit falsum. Etenim visio non creatur, sed educitur de potentia intellectus. Et quantum ad creaturam, si tamen esset possibilis sufficiens ad illam disposita, & illam exigens connaturaliter, non esset illi supernaturalis. Sicut anima rationalis, quamvis creetur à solo Deo, non est tamen supernaturalis corpori organico sufficiens ad ipsam disposito per causas naturales.

Secunda ratio Scotus.

Secunda est Scoti in 4. distinct. 49. quæst. 10. Quia, inquit, ut Deus videatur, oportet ipsum esse præsentem in ratione obiecti per seipsum, aut per aliquid aliud, quod eminenter Deum contingat. At hoc secundum est impossibile. Primum vero nulli creaturæ potest esse connaturale: ergo, &c. Respondetur, partim assumi falsum, partim fieri principium. Prius: cum ait Scotus Deum, ut videatur, debere esse per se præsentem in ratione obiecti, aut per aliud in quo eminenter contingatur. Fallitur enim, si hoc secundum sufficere putat ad visionem proprie dictam, quæ terminari debet ad rem ipsam præsentem secundum se. Posterius: cum ait esse impossibile, Deum connaturaliter esse præsentem creaturæ in ratione obiecti: hoc enim ipsum est quod queritur.

34.

Tertia ratio D. Thom.

Tertia est D. Thomæ quæst. 12. artic. 5. ad 3. Lumen gloriæ non potest esse naturale creaturæ, nisi creatura esset natura divina, quod est impossibile. Visio autem Dei non potest haberi sine lumine gloriæ, & principio sufficienti. Quare si principium sufficiens non potest esse naturale vili creaturæ, non potest vili naturaliter videre Deum. Respondetur,

antecedens per se obscurum & incertum esse. Si enim lumen gloriæ, & intellectus illo instructus, manent nihilominus intra limites entis creati: non apparet, cur substantia intellectualis, cui tale lumen sit connaturale, exeat necessario extra limites entis creati.

35. Quarta ratio.

Quarta eiusdem, quæstione cit. artic. 4. in corp. est, quia modus naturalis intelligendi sequitur modum essendi, illique proportionatur: Ergo, Deus cum sit actus purissimus, superat secundum conceptum intuitivum omnem intellectum creabilem, utpote potentiale in essendo. Respondetur, si hæc ratio firma esset, non minus probaret, ne quidem lumini gloriæ visionem esse connaturalem. Nam neque tale lumen est actus purissimus: neque compositum ex illo & ex intellectu Beati. At falsum est visionem Dei non esse connaturalem lumini gloriæ, & intellectui ipsum habenti, in sensu composito. Etenim visio beatifica non est supra vires connaturales luminis gloriæ, & intellectus illo instructi, considerati in sensu composito. Neque enim tale compositum eget alia elevatione ad Deum videndum: sed est iam satis proportionatum Dei visioni, eoque tantum Dei concursu debito lumini gloriæ.

36. Quinta ratio, falsque.

Quinta est Vasquis disput. 44. cap. 1. De Salas infra, & quorundam Recentiorum, qui sic argumentantur: nulla potest esse creatura naturaliter impeccabilis & beata, ut Ambrosius, Hieronimus, Augustinus, Gregorius, alique Patres affirmant: & confirmatur, quia omnis creatura ex natura sua est delectabilis, seu interire potest, quod autem potest amittere esse, potest & illo male uti. Quod enim potest corrumpi, potest & alterari. Sed peccare est male uti sua ratione, & alterari aliquo modo. Item peccare, est in rationis vlu vacillare. Quod autem cadere potest, vti que potest vacillare. Atqui creatura naturaliter potens videre Deum, esset beata & impeccabilis naturaliter. Responderi potest primo, Patres qui magis fauere videntur huic sententiæ fuisse supra citatos & explicatos. Alii qui verò alij, relati ab Aduersariis, loquuntur tantum de creaturis iam existentibus, de quibus in præcedenti sectione dictum est: vel de omnimodè necessaria beatitudine & impeccabilitate, independenter à Dei beneficio, & quidem gratuito, quatenus nulla præcelsit obligatio, ut Deus tales conderet creaturas. Respondetur secundo, Angelum vel hominem instructum lumine gloriæ, esse creaturam, non secundum se tantum; sed & secundum totum illud compositum, & vndequaque: ac nihilominus esse, ut talem, connaturaliter impeccabilem & beatum: Ergo, falsum est repugnare creaturæ, ut sit naturaliter impeccabilis & beata aliquo casu: Sicut autem in sensu diuiso potest peccare homo vel Angelus, semota Dei visione ita & qualiter alia creatura substantialis, possibilis. Postea autem absolute privari visione Dei, Deo ad illam non concurrente.



37. Sexta ratio eiusdem Vasq. ibidem, & Suar. lib. 2. c. 9. num. 14. hac est: Non potest dari substantia vlla supernaturalis. Ergo neque vlla cui visio Dei connaturalis sit, aut lumen gloriae. Probatur antecedens, quia substantia non potest dici supernaturalis ex eo quod alijs superior sit: sic enim substantia quae vis superior alia, esset supernaturalis respectu eius. Neque ex eo quod immediate sit à Deo: aliàs quiuis Angelus esset substantia supernaturalis, quia immediate à Deo est. Neq; apparet alia ratio quã substantia esse aut dici possit supernaturalis: ergo &c. Addit Suares n. 11. Deum non posse videri per aliquam speciem, sed tantum per essentiam in vitam in modum speciei. At hæc non potest esse naturalis vlli creaturæ: ergo &c. Addit ibidem, num. 15. quod si lumen gloriae esset connaturale alicui substantiæ: esset commensuratum illi, & respiciens illam vt obiectum maxime proprium: ideoque non posset respicere Deum secundum se. Quod denique substantia inferior, non possit per se participare id quod est proprium superiori, quamuis possit per aliquod accidens additum. Atqui habere essentiam diuinam pro obiecto visibili, maxime proprio & connaturali, est proprium Dei: ergo &c.

38. Respondetur, quod esse possint, & sint de facto substantiæ supernaturales, ante ostensum esse exemplis diuinæ substantiæ, & Christi Domini quibus etiam visio beatifica connaturalis est: earumque instar, proportionem aliqua dari possint à Deo & Christo inferiores, quæ supernaturales essent, & dicerentur, ex eo quod essent in eodem ordine in quo sunt accidentia supernaturalia, nempe habitus infusi fidei, spei, & charitatis, lumen gloriae, & alia huiusmodi quibus ordinatur ad supremam Dei participationem inter purè creatas, per eius visionem & fruitionem: quæ omnia potest illis connaturalia esse possint. Secundò responderi, incertum est, aut potius falsum, quod Deus non possit videri concurrente aliqua specie, vt ostendimus infra, sect. 2. disp. 8.

Respondetur tertio, peti principium cum dicitur, non posse Deum connaturaliter vni creaturæ vlli possibili per modum obiecti. Nam de facto sic vnitur intellectui informato lumine gloriae: quidni ergo tali creaturæ eiusdem ordinis & perfectioris vniri possit connaturaliter? Quarto, neque lumen gloriae fore tunc ita commensuratum substantiæ sibi connaturali, vt propterea Deo videado tantam obiecti maxime proprio non sit commensuratum, id est, proportionatum: sicut ex opposito Deus non est ita sibi ipsi commensuratus, vt obiecto maxime proprio, quin cætera omnia immediatè in seipsis cognoscat perfectissimè. Nec verum est quod vltimò addit Suares, habere essentiam diuinam pro obiecto visibili esse propriam Dei, si proprium priuatiuè intelligit: nam hoc ipsum lumen gloriae & visionem beatificam de facto conuenit. Sicut eandem habere pro

obiecto amabili non est ita proprium diuinæ voluntatis, quin etiam spei & charitati creatæ sit commune.

39. Septima ratio Aegidij Conink disp. 4. de actibus supernaturalibus num. 33. Nulla potest reddi ratio cur Angeli, qui totius intellectuales sunt, & habent ex genere suo inter creaturas possibles vim intelligendi perfectissimam, nequeant saltem esse & imperfectè videre Deum, nisi quia hoc omni intellectui creabili, naturæ viribus est impossibile. Nam quicumque intellectus creabilis, videtur necessariò futurus eiusdem rationis in genere cum creatis: ita vt hos solùm perfectione saltem specificâ superet sicut supremus Angelus iam superat infimum. Ergo si cut quicquid vni Angelus iam de facto naturaliter videre potest, etiam alter videre potest, licet minùs perfectè. Sic Angeli creati possunt aliqua ratione naturaliter videre, quicquid creabiles naturaliter videre possunt. Ergo si Angeli creabiles possunt naturaliter videre Deum: possunt & Angeli iam creati, licet minùs perfectè.

41. Responderi facillè potest primò, sicut sunt duo genera habituum intellectuum, vnum naturale, & alterum supernaturale: quorum prius non potest attingere naturaliter quicquid attingit posterius: ita esse possint duo genera intellectuum, & creaturarum intellectualium, naturale & supernaturale: quorum vnum non potest videre naturaliter quicquid potest aliud: quæque prius differunt inter se, quàm intellectus duorum Angelorum ordinis naturalis, quantumcunque perfectiorem in naturali perfectione. Secundò, falsum esse ex sententia multorum Adversariorum quoslibet Angelos posse videre naturaliter quicquid alios videt. Nam quilibet Angelus videt naturaliter, & cognoscit in seipsis immediatè & intuitiue sui cordis secreta: & tamen iuxta illos, non potest naturaliter videre secreta cordis aliorum Angelorum.

40. Octaua ratio proposita parum ad Aegidij supra num. 31. partim à Ludouico Torres, & alijs apud Ripaldam disp. 23. num. 87. Si daretur Angelus qui naturaliter posset videre Deum, sic esset naturaliter sanctus, & filius Dei naturalis: nam forma constituens filium, quæ est gratia sanctificans, esset illi naturalis: & consequenter esset naturaliter hæres Dei, & frater ac coheres Christi, & coheres diuinæ naturæ. Si enim filij & heredes: heredes quidè Dei, coheredes autem Christi, primogeniti in multis fratribus. Rom. 8. v. 17. At hæc omnia repugnant puræ creaturæ, eo ipso quod pura creatura est. Nam est natura Deo extranea: ideoque non potest esse filius Dei naturalis. Item hoc ipso quod est pura creatura, est naturaliter seruus: iuxta illud Cyrillus Alexand. in Ioan. lib. 1. cap. 13. Creatura cum serua sit, natiuam & voluntate Patris ad supernam vitam eleuatur. Ergo non est naturaliter hæres Dei: nam seruus non est naturaliter hæres Domini sui: sed, si filij, & hæres.



redes, Rom. 8. v. 17. & vice versa, si hæredes, & filij, Ergo neque est naturaliter coheres & frater Christi, & confors naturæ diuinæ, eiusque bonorum & gloriæ, cum Christo confidens in cœlestibus, vt ait Paulus de beatis Ephes. 2. v. 6. Est enim serui Domino feruere, non autem bonis eius gaudere, & in throno eius confidere, nisi à Deo gratuito ad tantum bonum eleuetur.

42. Responderi potest, ad quod sufficere fateatur Aegid. eodem loco, talem quidem fore sanctum ac Beatum naturaliter: sed non propterea filium Dei, fratremque & coheredem Christi. Quia probabilius est nullam creaturam per vlla dona creata, exceptâ vniõne hypostatica, necessariò & sine libera Dei acceptatione, fieri amicam & filiam Dei, habereque vllum propriè ius ad hæreditatem, sicut iusti & hæredes iam habent. Quare Deus posset liberè, imò ei subtrahere concursum necessarium ad sui visionem, vel aliter eam impedire: neque in eo faceret vlla ratione contra ius talis creaturæ. Secus est de ijs qui iam facti sunt filij adoptiui: quod habent, non per gratiam solam, aut per alia dona creata formaliter, & completè: sed per voluntariam Dei acceptationem, in filios, & collationem iuris ad sui fruitionem: & vt aliqui addunt per moralem habitationem Spiritus diuini, eos regentis specialiter, & spiritaliter quodammodo viuificantis. Contra quorum ius ac fidelitatem illis promissam Deus faceret, si illis sine in forum culpa negaret sui visionem.

43. Sed urgent aliqui Recentiores primò, competere nunc visioni beatissimæ quòd sit hæreditas, non modò respectu creaturarum quæ sunt: sed etiam respectu cuiuscunque possibilis. Nunc enim vocatur hæreditas, quia est fructus eorundem bonorum quibus Deus fruatur, quemadmodum in humanis is est verè hæres, qui possidet bona quibus fruebatur testator. Deus autem constituit Beatos super omnia bona sua. Secundò, si aliqua hæres interfuerint, quæ in beatis constituit hæres, quod sint filij & hæredes Dei, & coheredes ac fratres Christi: illa omnia sunt media ad beatitudinem, & omnium consummatio est Dei fruitio. Quare si alicui creaturæ potest finis esse connaturalis: multò magis media illi fini prorsus subordinata. Tertio, quicquid sit de nomine, repugnat seruo deberi connaturaliter fruitionem omnium bonorum Domini, & consortium gloriæ, sessorumque in eodem throno cum filio naturali, & cum ipso Domino. At omnis pura creatura est serua Dei: & beatitudo est fruitio omnium bonorum Domini, & consortium gloriæ, sessorumque in eodem throno. Ergo repugnat beatitudinem, seu Dei visionem, esse vlti puræ creaturæ connaturalem. Confirmatur, quia creaturam esse seruam, nihil est aliud quàm esse ita ignobilem vi suæ originis, vt ad Dei bonum & societatem aspirare non possit vi sua: sed debeat in laboribus seruire Deo: neque ius habeat se-

dendi in throno Dei, nisi à Deo vocetur & eleuetur. Est enim famuli seruire Domino, non autem bonis eius gaudere.

Ad primum, negatur antecedens: eiusque probatio. Nunc enim visio Dei beatifica vocatur hæreditas, non solùm quia est fructus eorundem bonorum: sed quia est cum illo speciali titulo iuris propriè dicti, qui vocatur ius hæreditatis. Neque in humanis quilibet fruatur quomodocunque bonis alterius, dicitur esse propriè illius hæres, & ea possidere iure hæditario. Ad secundum Respondet, illa omnia esse media ad beatitudinem, & fruitionem Dei habendam, cum tali iure: sed non ad habendam simpliciter. Ad tertium: talis creatura non frueretur perfectè omnibus bonis Domini, vt Deus ipse: neque esset confors eius gloriæ, ad æqualitatem: neque sederet in eodem throno cum Deo, & cum Christo, sed infinitè ab illis distaret. Neque verò Paulus Ephes. 2. v. 6. ait Beatos confidere cum Christo in cœlestibus: sed, *confidere in cœlestibus in Christo Iesu*: id est, esse inter se participes gloriæ cœlestis per Iesu Christi meritum. Sed neque illa quilibet participatio bonorum in cœlestibus naturalium est sine Dei nutu, & voluntate, creantis libera sua voluntate creaturam tantæ perfectionis, & cum illa concurrentis liberè ad sui fruitionem: cui, quia serua est, id non est propriè ex iure debitum. Certè compositum ex intellectu Beati & lumine gloriæ, est pura creatura, subiecta Dei seruituti: & tamen illi connaturalis est Dei fruitio. Neque desunt Beati esse serui Dei, etiam in sensu composito. Nam per dona purè creata, Deoque inferiora, non eximuntur à seruilis conditione: sed solus Christus ab ea eximitur: per vniõnem hypostaticam, id est, per hypostasin, & naturam diuinam, eius humanitati vnitam in identitatem supponit. Creaturam verò esse seruam, est esse personam discretam à Domino, & esse talem, vt cum Domino, non in bonis, nec in honore, nec in sede communicet ex debito, saltem ad æqualitatem. Vt colligitur ex epist. Adriani Papæ præmissa Concilio Francfordiensi: vbi rationem cur Christus seruus Dei dici non possit, hanc esse ait: quia Ecclesia in dextera omnis gloriæ proficitur sedentem, id est, in æquali gloria. Quæ æqualitas non sequitur necessariè aut naturaliter, nisi ex identitate naturæ, & personæ, cum Deo. At pura creatura, de qua loquimur, non esset eiusmodi.

## SECTIO VI.

*Expenduntur alia rationes quorundam Recentiorum.*

45. **N**ona ratio eorundem Recentiorum post Luduicum Torres, apud Ripaldam loco supra citato, hæc est: Cportet omnes



beatos esse Dei filios. Ergo vel adoptione, vel natura. At talis creatura neque esset filius naturā, quia filius naturalis debet esse eiusdem naturā cum Patre, aut naturā non extraneā, sed eius propriā per gratiam naturalem, aut per vniōnem hypostaticam cum filio naturali. Neque etiam esset filius adoptiuus: quia ex *Institutis de adoptione*, requiritur vt adoptiuus, ex beneficio & indulgentia ius in hēreditatem acquirat. Et ex Concilio Francford. in sacrosyllabo colum. 5. Adoptiuus dici non potest nisi is, qui alienus est ab eo à quo dicitur adoptatus, & gratis ei adoptio tribuitur: quoniam non ex debito, sed ex indulgentia tantummodo adoptio praestatur. Atqui talis creatura esset naturaliter videns Deum; ergo non ex gratuita adoptione.

46. Responderetur primò, negando antecedens intellectum de potentia absoluta. Supra enim ostendimus, esse *Filium*, plus aliquid complecti, quam esse purè videntem Deum & beatum. Secundò, dato & non concesso antecedente, responderi posset, Instituta loqui de adoptione humana, & quae re ipsa inter homines fit. At nō generaliter de quacunque possibili, neque de illa speciatim de qua nunc disputamus, quā quispiam licet naturaliter Deum videret; adhuc tamen esset adoptiuus, eo quòd esset natura extraneā; & Deo tantum coniunctus intentionaliter, per visionem & affectum voluntatis. Deque illa vera essent nihilominus quae de adoptioe gratuita dicit Concilium Francford. verbis in obiectioe relatis.

47. Decima ratio eodem desumpta ex Ripalda disp. 22. totā sect. 13. Implicat substantia creata continens propria & principali virtute gratiam iustificantem. Atqui substantia creata quae naturaliter videret Deum, contineret propria & principali virtute gratiam iustificantem: ergo talis substantia implicat. Minor probatur, quia tali creatura deberetur tanquam proprietate naturalis gratia iustificans, aequè ac lumen gloriae & visio beatifica: ergo virtute propria & principali contineret gratia iustificantem. Maior verò probatur, primò ex scriptura, *Nemo bonus nisi solus Deus*, Matth. 19. quem locum ita exponunt S. Augustinus, contra Maximinum cap. 23. & Anselm. aq. veris Matth. cit. vt nemo praeter Deum sit ex se ipso bonus & sanctus. *Ex se enim bonus non est nisi eius bonus, Deus Pater, Filius, & Spiritus Sanctus* inquit, Anselm. Et Gregor. Nyssens. in libello de fide ad Simplicianum, paulò ante finem, probat Spiritum sanctum non esse creaturam, quia omnis creatura ex participatione superni boni bona fit, Spiritus sanctus autem benefactore nihil opus habet; quippe cum natura bonus fit. Cyrillus quoque Alex. lib. 1. in Ioan. cap. 8. ipso initio probat Verbum esse Deum, quia non est lux per accidens, neque participatione quae per gratiam fit: Quae probatio nulla esset, si posset esse creatura quae lux esset, non ex participatione quae per gratiam fit. Verba Cyrilli sunt: *Aperitur modo veram lucē à*

*creaturis, quae lux non sunt, Euangelista dissepas. Illa enim natura lux est: ista per gratiam. Iste participat: illa participatur. In aegritate ista lux: illa indigentibus se ipsam largitur. Quasi ergo praeter illam vera lux est, nec quicquam aliud propria virtute atque natura, fructum luminis edere potest. Sed quemadmodum ex nihilo producta lux: sic à tenebris, splendore vero lumine accepto. Participatio illius illustrata, imitatione quadam in se transiit. Ita Deus quidem Verbum substantialiter, non participatione quae per gratiam fit, nec per accidens lux est. Creatura vero non sic: sed accipit quod habet illuminatur vt tenebra, aetheris gratiam acquirat: largitoris misericordiam benigni dignitatem consequitur. Ibidem paulò ante medium capituli: Si firmite credimus substantialiter Filio superna bona inesse: nolunt ei creaturam secundam naturam conuincere.*

48. Probatur secundò ratione, quia in hunc modum proponunt erudiri quidam Receptiores; Gratia iustificans est participatio naturae diuinae. At participatio naturae diuinae continetur in sola natura diuina, vt causa principali. Neque enim vlla natura inferior potest principaliter continere participationem naturae superioris. Item, si creatura illa contineret gratiam virtute propria & principali: posset gratiam iustificantem alijs conferre: hoc secundum repugnat omni creaturae possibili: ergo & primum. Maior probatur, quia sicut ignis quae virtute producit in se calorem, potest alia calefacere. & sol potest alia, aequè ac se ipsum illuminare: Sic creatura illa posset virtute naturali gratiam in alijs, aequè ac in se ipsa producere. Aequè quod Scriptura & Concilia non magis excusant creaturam quae dare possit hominibus gratiam & gloriam; quam creaturam quae viribus suis naturalibus illam habere possit: vt patebit expendenti Scripturae loca de vtroque. Ex gr. dicit Scriptura Rom. 6. v. 23. *Gratia Dei vita aeterna*. Responderis, creaturis quidem quae existentibus esse gratiam: sed non omnibus possibilibus. Atqui parifacilitate dici posset, creaturas quoque non existentes habere quidem vitam aeternam Dei beneficio & liberalitate: sed in casu possibili, posse haberi ex liberalitate creaturae quae illam det. Item Paulus 1. Timoth. 6. v. 15. de Christo sic ait, *Quem ostendit Deus beatus & solus potens, qui lucem habitat inaccessibilem &c.* Quod ideo dicit Paulus, vt probet solius Dei se manifestare Christi diuinitatem, quia est lux inaccessibilis. Quare si dicas, esse inaccessibleem nobis tantum, & vt res sunt: dicam etiam, quòd Christus est demonstrabilis à Deo tantum in hoc rerum ordine; sed in casu possibili demonstrari posset à creatura. Minor verò eiusdem argumenti, quòd scilicet non sit possibilis vlla creatura, quae possit propria & principali virtute conferre alijs gratiam iustificantem, probatur efficaciter ex SS. Patribus, Aug. lib. 1. de peccat. merit. c. 14. *Quisquis eius fuerit discere, iustificatio: consequens est vt dicas etiam, Crede in me.* Vnde concludit: sicut non est credendum nisi in

Conciliū Francford.

47. Decima ratio,

August. Anselm.

Nyssens.

Cyrillus.

STINO  
NEUS  
VI  
VI



Cyrill.

solum Deum: ita nullam creaturam iustificare posse nisi solum Deum. Cyrillus Alexand. in lib. *Quod Spiritus sit Deus*; initio: *Cum posse facere & concedere creaturis dignitatem qua creaturam excedit, amplius sit quam secat creaturarum natura & gloria: & Spiritus deificus: quomodo esset creatus, & non magis Deus, utpote deificus? Quae illatio nulla esset, si Spiritus sanctus posset deificare, & tamen esse creatura. Qui autem potest iustificare, potest deificare. Iusti enim sunt consortes naturae divinae, ut ait Petrus Apostolus epist. 2. cap. 1. v. 4.*

Responderi potest negando maiorem primi argumenti, quae male probatur ex loco Matth. citato, ubi est sermo de bonitate omnimoda, & per essentiam, id est, independente. Augustini verò cap. illo 23. sensus est, solum Deum esse summum bonum, & obiectum nostrae beatitudinis. Sic enim habet: *Nemo bonus nisi solum Deus, quod est ipsa Trinitas. Querere quippe ille, cui hoc respondit Dominus, non bonum qualecunque, sed bonum quo fieret beatus. Imò ipsam beatitudinem veram desiderabat.* Anselm. verò & Gregor. Nyssen. loquuntur de bono ex se, & independente à liberà alterius participatione: Quale bonum non esset creatura, de qua loquimur. Ad restimandum Cyrilli respondet Ripalda disp. cit. sect. 14. num. 71. ipsum loqui tantum de Christo comparato cum Ioanne Baptista, & alijs creaturis iam existentibus. Verùm huic expositioni, repugnant illa Cyrilli verba: *Et quemadmodum est nihilò producta sunt & quae ratio convenit omnibus etiam creaturis possibilibus.* Neque eam magis patitur verba paulò post relata, *si firmiter credunt &c.* Quare fatius est sateri Cyrillum eo loco facere alteri sententiae, sed illius solius inter Patres auctoritatem non adimere probabilitatem oppositae opinioni, firmis innixa rationis fundamentis.

50.

Ad primam probationem & rationem Respondeo, summam participationem naturae divinae, quae est illa quae fit per unionem hypostaticam, non posse contineri in natura inferiori tanquam in virtute principali. Secus autem aliquam participationem minus perfectam. Potest enim illa contineri in virtute creaturae alicuius, aequè aut magis naturam divinam participantis. Nam ipsi actus supernaturales, & praecipue Dei fructio, sunt aliqua participatio naturae divinae, ut se videtur, & se amantis essentialiter: & tamen continentur in habitibus supernaturalibus, ut in causis principalibus & naturaliter proportionatis. Quare possent contineri similiter in substantijs intellectualibus eiusdem ordinis & perfectionis: possentque per ratione contineri in talibus substantijs, ut in causa principali & proportionata, habitus ipsi supernaturales & gratia sanctificans.

51.

Ad secundam probationem potest probabiliter negari sequela. Multa enim sunt quae possunt aliquid in se efficere, non in alijs. Et g. potest quisque in seipso producere

habitus naturales, non in alijs. Et in eorundem opinione qui intellectum & voluntatem distinguunt ab anima, potest anima in seipsa naturaliter illas potentias producere: sed non potest in vilo alio. Confirmatur, quia vel posset gratiam producere in alia substantia eiusdem ordinis, id est, cui gratia sit etiam connaturalis: vel in substantia ordinis inferioris. Si primum: frustra esset illa potentia; quia quaelibet substantia talis habet gratiam naturalem à seipsa. Si secundum: multò plus virtutis requiritur ad gratiam producendam in subiecto naturaliter incapaci, quam ad eam producendam in sua ipsius substantia naturaliter eius capaci. Quare licet istud possit: non sequitur quòd possit quoque illud aliud. Scriptura verò neque negat, neque affirmat de creaturis possibilibus, quòd à seipsis possint naturaliter habere gratiam, magis quam quòd alijs possint eam communicare. Sed nihil inde sequitur. Neque enim ex hoc argumento purè negatiuo potest concludi efficaciter utrumque repugnare.

Vndecim ratio eorundem Recentiorum. Nulla creatura possibilis potest vi sua naturali mereri visionem Dei, vel ad illam se proxime disponere. Ergo nulla est possibilis, cui visio Dei possit esse connaturalis. Sequela patet, quia multò minus est se disponere ad Dei visionem, quam illam habere. Antecedens probatur. Quia necessè est homines & Angelos ad statum Deificum per gratiam adoptionis sublimari, ut mereri possint vitam aeternam, & ut dicunt Pius v. Greg. XI I. in Censura Michaelis Baj art. 18. Item status gratiae, per quem reddimur capaces merendi, ex multorum sententia complectitur in habitationem quaedam specialem Dei. Et Trident. sess. 6. cap. 16. requirit ulterius influxum aliquem moralem Christi in iustos, vel in sua membra, influentis in ipsorum opera dignitatem quandam moralem. Hae autem omnia requiruntur, ut opera meritoria sint valoris proportionati ad visionem beatificam. Sed omnino videtur absurdum creaturam aliquam vi suae conditionis naturalis esse in statu deifico: ad tantumdem habere ex natura sua, quantum si possideret Spiritum sanctum, aut ad se membra Christi, itaque eius opera ex solo concursu generati Dei tantumdem habeant dignitatis, quantum trahunt opera hominum & Angelorum ex statu deifico, & in habitatione Dei, & Christi Domini societate. Addunt talem creaturam posse condigne satis facere pro peccato mortali, si in illud caderet; quia posset naturaliter Deum diligere super omnia, actu perfecto charitatis. Sed hoc postremum falsum est, & improbabile. Nam actus charitatis purae creaturae quantumcunque perfectae, non potest esse condigna satisfactio pro peccato mortali: sed omnino requiritur satisfactio alicuius suppositi divini, ut ostendemes in tract. de Incarnatione disp. 2. sect. 4. & 5.

52.  
Vndecim ratio.

Ripalda.



53.  
Lect. lib. 12.  
de perfect.  
diuini. c. 11.

Ad prius verò responderi potest ex sententia plurimum Theologorum, non alium statum deificum, quam statum gratiæ habitualis, esse necessarium ad merendum. Inhabitatione illa specialis Dei, primùm à Lessio addita est. Tridentinum autem potest facillè intelligi de auxilijs præuenientibus, concomitantibus, & subsequenter, quæ Christus iugiter influit in iustos, sicut vitis in palmites, sine quibus nullum opus supernaturale edere possunt, cum sint ad illa naturaliter improporcionati. Dicere verò, absurdum esse quòd status ille deificus, id est status gratiæ, possit alicui creaturæ conuenire vi suæ conditionis naturalis, est assumere ad probandum, illud ipsum quod est in quæstione. Addi potest iuxta Lessij, & aliquorum Theologorum sententiam, qui supradicta omnia requirunt ad merendum: ea requiri, non ad merendum simpliciter visionem Dei, sed ad merendam vitam æternam, id est, merendam perpetuitatem illius gloriæ; quod præmium eatenus infinitum est: adeoque improporcionatum actibus meritorijs huius vitæ, non magno numero, finitis, & transitorijs, nisi nobilitentur ex illis alijs circumstantijs. At creatura, de qua loquimur, non posset naturaliter actibus similibus vitam æternam mereri, vt æternam, id est, condignum ad eius perpetuitatem acquirere. Ad id verò quod aiunt, saltem talem creaturam habituram gloriam, sed non apud Deum, contra illud Pauli ad Rom. 4. v. 2. *Si ex operibus iustificatus est, habet gloriam, sed non apud Deum*: similiter enim, inquit, dici potest, si ex operibus (merè suis & naturalibus) glorificatus est merendæ visionem beatificam, habet gloriam, & quidem maximam, sed non apud Deum. Ad hoc, inquam, Respondeo talem creaturam non habituram ex suis operibus gloriam iustificationis, de qua solus loquitur Paulus: quæque prout continet remissionem peccati mortalis, non potest haberi sine beneficio Dei gratuito, propter impotentiam cuiuslibet puræ creaturæ ad satisfaciendum condignè, & ex rigore iustitiæ: estque ex ea parte aliquid maius & difficilius, quam mereri visionem beatificam.

54.  
Duodecima ratio.

Duodecimam & vltima ratio eorumdem recentiorum: Si possent dari creatura quæ naturaliter videret Deum, vt nunc Beati illum vident per lumen gloriæ, posset videre naturaliter actus Dei liberos, & intelligere quid per illos Deus velit: iterumque videre actus Dei contingentes, per quos Deus nouit futura contingentia. Nam lumen gloriæ ad hæc omnia valet. Ergo talis creatura videret naturaliter cor Dei, eiusque consilia. Non esset participes; & futura libera præsciret. At D. Paulus 1. Corinth. 2. v. 10. dicit solius esse Spiritus Dei scrutari eius profunda, scilicet consilia cordis, quibus nihil est magis secretum. Neque loquitur tantum de ijs quæ nunc sunt. Nam ad probandam necessitatem quam habuit mundus Spiritus Dei, vt cognoscerent Dei consilia de nostra salute; adducit,

neminem, Deo excepto, per se scire posse Dei consilia. Atqui si aliter esse potest in ordine aliquo possibili, sola reuelatione constabit non ita esse: sola enim reuelatione habetur, quòd creatura possibilis non existat. Sed hoc posito, probatio D. Pauli erit infirma, probans rem obscuram per æque obscuram: imò idem per idem. Cum autem Scriptura assumit aliquid probandum: aut videtur propositis inibus alibi reuelatis, quæ conceduntur ab ijs quos alloquitur; aut propositionibus per se naturaliter acceptabilibus. Ergo hæc, quòd solus Spiritus Dei cognoscat profunda Dei, est naturaliter acceptabilis: quod non esset, si aliter esse posset sine absurdo. Cætera quæ ad idem confirmandum addunt, leuiora sunt; neque faciunt contra solutionem iam afferendam.

Respondeo, quemadmodum Beati lumen gloriæ, non ex necessitate, sed ex libera Dei determinatione vident aliquos actus liberos Dei, & aliquas cogitationes contingentes futurorum: sic talem creaturam non fore aliter visuram. Paulus autem tantum, ait, solius esse Spiritus diuini nosse ex necessitate profunda Dei, eiusque consilia & secreta: & quæcumque detur creatura possibilis, necessarium esse Spiritum diuinum per se immediatè, vel illi vel nobis manifestare Dei consilia de nostra salute. Nam sine ipso liberè mani festatione à nullo possunt sciri per se solum, quod sufficit ad probandam necessitatem quam mundus habuit Spiritus diuini.

Sed instant, quia ex opposita creatura lequeretur, posse esse aliquam creaturam quæ naturaliter præuideret futura contingentia & libera. Consequens autem est absurdum: alioqui non esset bonum argumentum à Prophetijs, ad inferendum, quòd Christiana religio sit à Deo. Quia, si est possibilis creatura præuidens futura naturaliter: non aliunde quam reuelatione constabit, quòd à Spiritu sancto inspirati, & non ab illa creatura, locuti sunt Propheta. Ad id quod iam reuelationem præsupponit, non potest esse argumentum ad illam probandam. Prima verò sequela probatur, tum quia aliqua creatura possibilis, posset in Deo videre naturaliter huiusmodi futura: tum etiam quia intellectus Prophetarum, instructus speciebus à Deo infusus, potest cognoscere huiusmodi natura. Atqui potest dari intellectus creatus æquivalens perfectioni intelligendi, quæ est in toto composito ex speciebus. His & ex intellectu Prophetarum; non minus quam per Adversario, potest dari intellectus æquivalens in perfectione intelligendi toti composito ex lumine gloriæ & ex intellectu Beati.

Respondeo, non esse absurdum, creaturam aliquam posse naturaliter ea cognoscere merito supradicto, Deo scilicet liberè ea in se ipso manifestante. Ex quo non sequitur argumentum à Prophetijs esse inualidum, quia semper verum manet, ea non posse infallibiliter præcognosci, & prædici, nisi Deo reue-

55.

56.

Instancia  
& confirmatio  
præcedentis  
rationis.

57.



ente & manifestante, vel proximè, vt in casu proposito, & in Prophetis immediatè à Deo audientibus: vel per modè, vt cum Angeli, vel alij, qui à Deo immediatè acceperunt, alijs manifestant. Falsum verò est quod vltimò addunt, possibilem esse creaturam æquiualentem in virtute intelligendi composito ex specie & intellectu Prophetæ; si possibilis est creatura æquiualens composito ex lumine gloriæ & intellectu Beati. Quia species se tenet parte obiecti. Nullus autem intellectus creatus potest esse de se sufficiens & completus ad intelligendū, sine concursu obiecti, vel per se, vel per aliquod mediū cogniti, aut incogniti: alioquin esset illimitatus in cognoscendo, cognosceretque omnia intelligibilia, eo ipso quòd sunt intelligibilia. Quare quantumuis crescat perfectio creata ex parte principij actiui intelligendi, nunquam poterit supplere speciem obiecti. At verò lumen gloriæ se habet per modum principij efficientis: ideoque suppleri potest per virtutem intelligentem crescentem in infinitum.

De Salas.

Alia multa vndeque, more suo congerit De Salas 1. 2. q. 3. tract. 2. disp. 3. sect. 2. qui postquam acriter nimis in hanc sententiam inuictus est, incidit tamen, licet inuitus, in eisdem modificationem. n. 21. cum ad primum argumentum respondet, eam opinionem (ex his nimirum duabus oppositis) eligendam esse, quæ probabilior est, & sauis esse afferri pro illa rationes quæ ostendant probabilius esse, repugnare talem creaturam quam non repugnare. Quam modificationem aliorum quoque plurimum ex Aduersarijs esse testatur Ripaldus. cit. disp. 23. sect. 1. num. 1. in fine.

Ripaldus.

Obicit autem præcipuè De Salas ratione secundà, alia multa monstruosa & portentosa posse fingi possibilis, secundum modum argumentandi nostrum.

59.

Soluantur alie obiectiones.

Responderi potest, non fingi quicquid seruata proportione ex aliquo reipsa existente, valde probabiliter ratione colligitur, cuiusmodi est nostrum in presenti ratiocinatio. Ex plurimis autem quæ ibidem commemorantur velut impossibilia, quædam possibilis sunt, & à multis concessa: quæ verò ea sunt, longius esset enumerare. Speciatim verò vniò hypostatica non potest vlli creaturæ purè esse connaturalis, quia nulli potest esse connaturale, vt priuatur propriâ & naturâ substantiâ.

Alia eius ratio est, quia possibilis est creatura rerum non connaturalium vlli substantiæ creata vel creabili, cum in hoc nulla apparet repugnantia afferri possit. At in tali ordine debent esse gratia & gloria: ergo &c. Respondeo, cum Deus aequè potens sit in creandis substantijs, ac in creandis accidentibus, & omne accidens connaturaliter obiectum exigit: valde incertum esse, quòd non possit creare substantiam eiusdem ordinis cum quouis accidente creabili. Quare hæc ratio nihil habet supra probabilitatem.

Instabis, quia non est existendum solam independentiam & illimitationem esse creaturis impossibilem: sed potius multas esse alias perfectiones Dei omnino proprias, & incommunicabiles creaturis, inter quas est connaturalitas diuinæ visionis. Respondetur, alia quidem esse creaturis incommunicabilia, & Dei propria, vt vim ipsam comprehendendi, æternitatem strictè sumptam, communicabilitatem & identitatem essentiae cum tribus personis, earumque originem per intellectum & voluntatem, &c. Veruntamen eum Dei visio sit reipsa connaturalis alicui creaturæ, nempe lumini gloriæ, & intellectui instructo lumine gloriæ; non est dicendum illam connaturalitatem esse creaturis omnino incommunicabilem. Cùmque reipsa communicetur alicui accidenti, & composito ex substantia intellectuali & accidente illo, nempe lumine gloriæ: probabile est posse quoque communicari alicui substantiæ intellectuali superioris ordinis.

60. Multæ sunt perfectiones creaturis incommunicabiles.

Virgebis, quia Deus non potest dare substantijs per se, quicquid habent per accidentia, alioquin præter creare substantiam quæ per se esset peccatum, & haberet id quod habet per actum peccati, posset. Respondeo, repugnare Deum esse causam specialem peccati, etiâ accidentarij, aut compositi ex substantia & accidente peccati, nisi; sed tantum posse permittere peccatum, & concurrere per modum causæ primæ, cum libertate creata id exigente, & ad peccatum se liberè determinante aliud quàm Deum penitus dedecet. Quia multò minus potest esse causa substantiæ quæ per se sit peccatum. Vbi verò nulla apparet repugnantia ex hoc capite, vel aliquo alio; non est improbabile Deum posse creare substantiam, quæ habeat per se connaturaliter, id quod habet per accidentia: quamuis oppositum quæ non careat probabilitate, adeoque res sit incerta vt contenta sententia hucusque proposita.

SECTIO VII.

Vera sententia & solutio argumentorum.

Non obstantibus, quæ scilicet propter rei difficultatem prosecuti sumus, præferenda est contraria sententia, affirmans Deum esse naturaliter inuisibilem respectu cuiuscunque creaturæ possibilis. Primum, quia est expressè D. Thom. quæst. 12. a. 5. ad 3. & omnimò ferè Theologorum, à quorum tam communi consensu non est facile recedendum, sed potius credendum latere in esse contradictionem in eo, quod tam multi & tales iudicant esse impossibile, accedente præferrim simili iudicio SS. Patrum; de quo dicemus paulò inferius.

Deus est naturaliter inuisibilis omnium intellectui creatibili.

Secundò, quia est conformior verbis Apostoli 1. Timoth. 6. qui lucem habuit inaccessibilem &c. quæ verè absolute prolata, iudicent absolute.

Probat ex scripturis.



absolutè intelligi quantum fieri potest. Intelliguntur autem absolutè, si dicamus Deum, ob summam suam elevationem, esse inuisibilem, & inaccessibleem cuicumque creaturæ, viribus eius naturalibus: adeo vt nulla penitus possit ad eum clarè & in luce aperta inueniendum accedere, nisi ipsius indulgentiâ, & gratiâ creaturam ad hoc eleuante. In opposita verò sententia Deus erit inaccessibleis comparatiuè tantùm, respectu creaturarum nunc existentium: eo modo quo si Deus vnicum Angelum creasset, esset ille inuisibilis respectu aliarum creaturarum intellectualium tunc existentium: posito, quod probabile est, non posse animas rationales, quamuis à corpore separatas, naturaliter videre Angelos.

62. Neque dicas, si Deus esset absolutè inuisibilis creaturis, deberet esse inuisibilis intellectu Beati instructo lumine gloriæ, quia totum illud compositum creatura est. Respondet enim, Deum nõ desinere esse absolutè inuisibilem creaturis secundum vires suas naturales spectatis, & sine donis & auxilijs specialibus gratiæ; atque esse illis per se, solisque suis viribus inaccessibleis: quamuis ipse possit per gratiam & condescendentiam accessum illis ad se dare, & sequi illis visibilem facere per auxilium suæ omnipotentis. Loquitur autem Apostolus loco citato de creaturis ita consideratis, id est, de accessu creaturæ intellectualis nudè sumptæ, & secundum sola naturalia consideratæ. Nam intentum Pauli erat ostendere, creaturam non posse videre Deum, aut eius secreta cognoscere, speciatim Christi diuinitatem, nisi quatenus Deus ipse ostendit, quemadmodum ostendit Christum suis temporibus, vt ibidem affirmat paulò post. Certè ciuitas non desineret dici absolutè inaccessibleis, si non nisi ipsa volente, & iuuante, vt complanando, portaque apertendo, nullus posset ad illam accedere.

63. Moueor certò ad hanc sententiam alteri præferendam, quia est conformior SS. Patribus, quorum pluribus testimonijs non planè satisfaciunt. Authores oppositæ sententiæ. Nam quod respondent locis superiori sectione relatis SS. Augustino, Fulgentio, Hieronymo, Ambrosio, Gregorio, & Anselmo, affirmantibus solum Deum, esse impeccabilem, cætera verò, eo ipso quòd ex nihilo sunt, vel quòd non sunt summa bona, peccare posse; Quod, inquam, respondent creaturam illam, cui visio Dei esset connaturalis, posse nihilominus illam non habere, Deo non concurrente; & tunc peccare posse: non satisfaciunt duplici de causa. Primum quia sensus Sanctorum illorũ est, creaturam, ex eo quòd ex nihilo producta sit, vel non sit summum bonum; non habere per sola naturalia, & titulo creationis, ac sine gratiæ beneficio, quòd peccare non possit. Atqui si Dei visio esset illi connaturalis, & debita titulo creationis; esset impeccabilis per sola naturalia. Neque enim decreet Deus, negare illi concurrere.

Tom. I.

sum naturaliter debitum ad visionem, vt eo negato peccaret, aut posset peccare. Secundò, quia vt fatentur Adversarij, creatura illa esset substantialiter eiusdem ordinis, & eiusdem aut maioris perfectionis, quàm sunt habitus supernaturales à Deo nunc infusi. Atqui, vt docet Tridentin. sess. 6. capite 9. in fine, repugnat fidei infusæ subesse falsum: & par est ratio vt spes infusæ, & charitati, alijsque habitibus supernaturalibus infusis voluntati, repugnet peccatum: vt etiam docent communiter Theologi, putantque hanc repugnantiam oriri ex intrinseca perfectione horum habituum: Ergo similiter peccatum repugneret tali creaturæ, atque illa esset magis impeccabilis, semotà etiam Dei visione, quàm sit infallibilis habitus fidei infusæ, & quàm sint impeccabiles habitus supernaturales infusi voluntati.

Non satisfaciunt etiam verbis illis Cyrilli I. in Ioan. c. 13. *Creatura, cum serua sit, nutrantium & voluntate Patris ad supernaturalia vocatur.* Quibus verbis significat Cyrillus supernaturalia dona gratiæ & gloriæ ad quæ nunc homines & Angeli eleuantur à Deo, non posse vlli creaturæ esse connaturalia: quia eo ipso quòd est creatura, est serua: & non possunt nec seruo esse connaturalia: quia scilicet tanta & talis diuinorum donorum communicatio insuperat naturalem conditionem seruitutis. Omnis autem pura creatura, eo ipso quòd est pura creatura, est naturaliter serua. Quod amplius confirmatur, & manifestè liquet, ex ijs quæ ait eodem loco, capite 8. paulò ante medium: *Si firmitez credunt substantialiter Filio supernaturalia bona inesse, nolunt ei creaturam secundum naturam conuigere.* Id est, non potest eum esse puram creaturam, neque naturam aliam habere quam creatam, si credunt bona supernaturalia ipsi inesse naturaliter. Item ibidem asserit, cætera præter Deum, quemadmodum ex nihilo producta sunt; sic à tenebris, splendore veri luminis accepto, illustrari per accensens, & de foris gratiam acquirere, largitoris misericordia, & participatione quæ per gratiam fit: vt retulimus supra num. 47.

Nec obest quòd gratia, & lumen gloriæ, aliaque dona supernaturalia, sint aliquid creatum; quòdque compositum ex illis & ex natura intellectuali sit aliquid creatum & creatura, cui tamen est connaturalis Dei visio, in se uo composita. Nam, vt bene aduertunt eruditi quidam Recentiores, creaturæ nomine simpliciter intelligitur Cyrillo alijque Patribus, & ab omnibus communiter, natura ipsa substantialis secundum se spectata, vel purè solùm ac nudè, vel in ordine ad ea quæ naturaliter habet aut habere potest: siue quoad ea quæ illi conueniunt solo titulo creationis ( respectu cuius vocatur creatura ) quæque, vt ait sanctus Bernardus, sunt magis illi innata, quàm donata: non autem quoad ea quæ illi insunt, aut

64. Cyrillus:

Dona gratiæ & gloriæ, quæ possunt esse connaturalia vlli creaturæ.

65.



inesse possunt beneficio gratiæ. Quæcunque autem dona gratiæ illi à Deo liberaliter dentur, semper sunt illi, secundum se sumpta, supernaturalia, & per excessum improporcionata, quamuis vnum ex illis donis non sit supernaturaliale alteri, neque composito ex illo & natura. Semperque habet creatura vnde se humiliet, vt serua, & vt indigna tantis bonis, ratione suæ originis & conditionis naturalis: iuxta illud Pauli, *Quid habes quod non accepisti? (gratuito scilicet, & supernaturaliter) Si autem accepisti, quid gloriaris quasi non accepseris? 1. Corinth. 4. v. 7.*

66.

Mouet quartò, quia licet contraria sententia plurimis rationibus contra se allatis aliunde satisfaciatur; in quibusdam tamen admittit aliqua, quæ Scripturæ, Patribus, & rationi non videntur esse conformia. Vt y. g. quòd aliqua sit possibilis creatura, quæ cum Dei conatur generali, & sibi conaturali, sic particeps & consors naturæ diuinæ, eiusque lucis, & conscia eius confessorum & secretorum. Cum Scriptura & SS. Patres magis significant locis ante citatis, & alijs in superiori sect. allatis, gratiam Spiritus sancti, vel ipsum Spiritum sanctum supra naturæ vires iuuantem, esse ad hoc necessarium, neque habere creaturas. Ne de tantis perfectionibus gloriarì possint, vclut sibi connaturalibus, debitisque titulo creationis. Idque luminis rationis naturalis per se apparet esse magis conueniens, rectè & dignè cogitanti de gloria diuinæ maiestatis, atque eleuatione & eminentia infinita super omnes naturas creabiles.

Difficile tamen est duobus argumentis positius contrariæ sententiæ perfectè satisfacere: sed in questione vtriusque difficili, si attendatur sola ratio naturalis, sequendum est quòd Scripturæ & Patribus, & communi iudicio Doctorum conformius est.

67.

Solutio prima arguendi propositi. 23.

Ad primum respondent aliqui Recentiores primo, esse argumentandi modo probatum ita posse creati voluntatem, quæ velit sine cognitione: quia coniuncta ex voluntate, & cognitione præuia, iuuante ad volendum, est finita virtutis. Ergo si perfectio voluntatis crescat in infinitum, poterit ad tantam perfectionem peruenire, imò & illam excedere. Secundo, veram rationem cur talis intellectus sit impossibilis, non esse, quòd sit virtus infinita in intellectu instructo lumine gloriæ, cui proinde nullus intellectus creabilis æquari possit: sed quia in intellectu instructo lumine gloriæ seruatus ordo dependentiæ necessarius creaturæ. Qui ordo non seruaretur nisi creatura, quæ virtutis originis esset substantialiter completè potens ad videndum Deum. Semper enim manet quòd creaturæ instructa lumine gloriæ, sit ex naturâ suâ serua, & non nisi gratuito se esse beatam debeat agnosceret. Lumen autem gloriæ, aut quoduis aliud accidens infusum, non eget illa humilia-

tione & gratiarum actione, quæ eget creatura in se substantialiter sumpta. Hæc illi.

68.

Non facit facit.

Sed prima responsio falsum assumit. Cognitio enim obiecti respectu volitionis, se tenet ex parte obiecti: estque illius propositio, vt supra diximus de specie, vel alio medio cognitionis, supplente defectum obiecti non præsentis per se. Ideoque non potest suppleri, crescente licet actiuitate intellectus creati ad intelligendum. At lumen gloriæ, & compositum ex illo & intellectu Beati, est mera vis intelligendi, & principium efficiens intellectionis. Secunda vero responsio relinquit integram difficultatem, quomodo scilicet virtus naturalis intelligendi, si crescat in infinitum, non adæquet virtutem finitam intelligendi, quæ est in composito ex lumine gloriæ & ex intellectu Beati? Hæc enim difficultas non soluitur afferendo solum illud incommodum, quòd non seruaretur ordo dependentiæ creaturæ à Deo. Est enim æqualis difficultas, quomodo possit stare ille ordo dependentiæ cum possibilitate creaturarum intellectualium, perfectiorum in infinitum.

69.

Alia solutio Aegidij Conink.

Aliter respondet Aegidius Conink disp. 4. de actibus supernaturalibus num. 34. & 35. quòd intellectus creatus sit improporcionatus visioni Dei, non proueniens tantum ex eius imperfectione: sed quia licet diuina essentia, vt abstractiue cognoscibilis, conceptu saltem confuso & non quidditatiuo, sit obiectum omnis intellectus: tamen vt intuitiue visibilis, & obiectum omnino improporcionatum naturali virtuti cuiusvis intellectus possibilis: sicut obiectum non illuminatum, est obiectum improporcionatum potentie visuæ oculi humani: licet non improporcionatum oculo imperfectiori Bubonis. Vnde quamuis crearetur oculus humanus perfectior & perfectior in infinitum, nunquam tamen posset videre sine lumine.

Reicitur

Sed contra, primo, quia lumen se tenet ex parte obiecti, tanquam obiectum per se visibile, & tanquam morium seu obiectum formale videndi colores, sine quo neque Bubonis oculus, neque vilius alius potest videre naturaliter; quamuis oculis imperfectior, puta Bubonis, possit cum lumine per exiguo videri, propter contemperem & improporcionem talis luminis cum suo organo, ea qua oculus perfectior non valet sine maiori lumine. Quod etiam in hominibus quibusdam semicæuentibus expertus aliquando sum. Secundo, cum potentia intellectiua sit de se vniuersalis, & valens ad omnia intelligibilia: non video quomodo fieri possit, vt perfectior intellectus sit de se insufficientis ad videndum obiectum, ad quod videndum per se sumit vis imperfectior intelligendi. Nam vbi est pars facultas agendi, debet esse pars actio conaturaliter, si cetera sint paria. Neque potest defectus actionis in defectum potentie refundi, si est æqualis aut maior illius vis agendi.



Melius ergo responderi potest cum Faso-  
lo q. 12. a. 4. dub. 3. n. 11. intellectum natu-  
ralem, quantumvis crescat in infinitum,  
semper fore imperfectiorem composito ex  
lumine gloriæ, & ex intellectu Beati: adeo-  
que nunquam adequaturum illius perfectio-  
nem in virtute intelligendi: quia augmentum  
illud semper erit naturale; adeoque inferius  
quocunque lumine finito supernaturali. Es-  
ideo ex hoc augmento non potest inferri, vi-  
sionem Dei fore tali intellectui connatura-  
lem, quamvis sit connaturalis lumini gloriæ,  
& intellectui Beati, vt lumine illo perfuso.  
Quamquam proprie loquendo non est con-  
naturalis ipsi intellectui, sed soli lumi-  
ni gloriæ cui ratione sua perfectionis debet  
naturaliter concursus ad actum visionis  
exercendum: debetur quoque illi connatu-  
raliter vt intellectus eo perfusus eleuetur, &  
côcurrat obedientialiter ad producendū vita-  
liter eundem actum. Porro intellectus creatus,  
aut creabilis, quamvis sit potentia de se vni-  
uersalis, & valens ad omnia intelligibilia  
cognoscenda aliquo modo; non tamen ad  
omnia quidditatiuè, germanè, & intuitiuè  
percipiendâ: ac ne quidem, iuxta commu-  
nem sententiam, intellectus iam creatus,  
Angelicus & humanus; valet hoc modo ad  
vlla obiecta in entitate supernaturalia. Qua-  
re licet perfectior & perfectior intellectus  
creatus, valeret naturaliter ad perfectius &  
perfectius intelligendum obiecta naturalia;  
non tamen ad videnda supernaturalia; ne-  
que attingeret vnam perfectionem lumi-  
nis superioris, & alterius ordinis, cuius-  
modi est lumen gloriæ: quemadmodum bruta,  
licet crearentur alia alijs perfectiora in  
infinitum, nunquam attingerent ad perfectio-  
nem humanæ naturæ, quæ est alterius ordi-  
nis.

71. Solutio se-  
cundi ar-  
gum. pro-  
positi n. 28.

Ad secundum Respondetur scripturæ & Pa-  
tri bus citatis esse conformius existimare nul-  
lam puram creaturam posse adeo esse perfe-  
ctam secundum suam substantiam, vt per-  
ueniat ad eam perfectionem quæ Deus potest  
conferre per accidentia supernaturalia, &  
speciatim per Dei visionem. Sic enim esset  
naturaliter inaccessibilis: & Deus esset illi  
naturaliter ineffabilis, & necem naturaliter  
haberet per se ipsam, non per accidens, de-  
foris, & participatione per gratiam, quæ om-  
nia, vt supra ostendimus, sunt aliena à men-  
te D. Pauli II. Thotif. 6. V. 16. & August.  
Hieronym. Fulgent. Gregor. Cyril. Alexand.  
aliorumque Patrum.

Ad tertium argumentum negatiuum,  
Respondeo non clarè quidem, hic ostendi  
contradictionem, vt neque in eo quod oec-  
lus corporeus Deum videre possit, vel quodd  
aliqua creatura possit Deum comprehen-  
dere, aut creare aliquid, vel producere quid-  
piam sine Dei concursu, quæ tamen com-  
muni iudicio Doctorum censentur latentem  
contradictionem continere. Par autem est  
in presenti ratio idem iudicandi, ob tant  
communem consensum Theologorum, &  
quod amplius est Sanctorum Patrum, fa-  
uente Scriptura. Quo verò rationes ad idem  
probandum aliquid roboris habeant antea in-  
dicatum fuit.

72. Ex dictis collige à fortiori, Deum esse na-  
turaliter incomprehensibilem, & ineffabi-  
lem omni creaturæ, tum existenti, tum etiam  
possibili: id est, nullam esse, aut esse posse  
creaturam, quæ solis tribus naturalibus  
possit Deum cognoscere adæquate, quantum  
cognoscibilis est. Quod multo maius ac diffi-  
cilius est, quàm Deum tantum videre quo-  
modocunque. Nullam item cuius sermone  
quantumvis longo, & prolixo, possit eius  
natura & excellentia infinita satis explicari:  
ita vt quamvis in infinitum sermo de illo  
protrahatur à quacunque natura creata vel  
creabili: nunquam tamen quicquid in illo  
est, explicetur: iuxta illud Gregor. Nazianz.  
orat. 49. & Aug. serm. 190. de tempore. Hoc  
est Deus quod cum dicitur, non potest dici: cuius as-  
firmatur non potest affirmari: cum comparatur, non potest  
comparari: cum definitur, ipsa definitio crescit  
&c. An vero per gratiam possit à creaturis  
comprehendi, vel voce satis exprimi, dice-  
mus in sequenti disputatione. Rectè autem  
notat Sanctus Dionys. cap. 7. de diuisis no-  
min. initio, quia Deus supra sermonem om-  
nem, & mentem, & sapientiam locatus emi-  
nec: ideoque solemnè Theologis esse quæ  
sunt in Deo, nominibus priuatiuis asserere. At-  
que ita, inquit, *Et inuisibilem aiunt sancte litera  
clarissimam lucem: eumque qui celerrimè est, &  
eum qui multis insignis non sibi est, ineffabilem,  
& sine nomine appellant: presentemque omnibus,  
& qui inuenitur ex omnibus, incomprehensibilem  
atque inuestigabilem dicunt.* Eodemque modo  
affirmat Apostolus laudare stultitiam,  
Dei, cum sic ait, *Quod stultum est Dei, sapien-  
tius est hominibus.* I. Corinth. I. v. 5. *Quod in eis  
rationale indignumque videtur, ad ineffabilem  
viam nemque omnem præcellentem, referens verè a-  
tem. August. Dyophysius.*

Ad tertium  
propositum  
num. 30.

Deus est  
naturaliter  
incompre-  
hensibilis  
& ineffabi-  
lis omni  
creaturæ  
possibili.

Nazianz.  
August.